HISTORIÆ NAVALIS MEDIÆ LIBRI TRES.

Autore THO: RIVIO,
Regis in ANGLIA
Advocato.

Qui mare in navibus descendunt, facientes operationem in aquis multis; Ipsi viderunt opera ejus, & mirabilia ejus in profundo. Psal. 106.

LONDINI,
Apud *Richardum Hodgkinsonne*,
Et væneunt in vico vulgariter dicto
Little-Britaine, Anno Domini,
MDCXL.

Sold
8° R. 7
Art.

HISTORIÆ
NAVALIS
MEDIÆ LIBRI
IV.

Sereniſſimo Potentiſſimoq;
Domino noſtro

CAROLO,

D. G.

Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ REGI.

MAgno planè auſu, *Sereniſſime Potentiſſimeq; Domine Rex noſter, Majeſtati veſtræ* Hiſtoriam naualem Antiquam *olim dicare aggreſ-*

greſſus ſum : Sed enim, placida temporum illorum quies, & profundum à bellis otium, faciles tum ad Celſitudinem veſtram hujuſcemodi munuſcula afferentibus aditus præbuerunt. Nunc autem rerum ordo non mutatus ſed inverſus cernitur. Scotia, quæ te talem genuit, contra te arma rebellis induit, & populari furore concita, non Epiſcopalem autoritatem immiuuere, ſed ipſũ (hæc enim ſceleri cauſa prætexitur) ſacroſanctum Epiſcopatus ordinem contra jus & fas, moremq; majorũ ex Eccleſia illa tollere minatur. Nec de belli euẽtu, metus. Deus enim, æqui boniq; fautor, conſilia hæc & ſcelera in capita autorum vertet. Interim verò Majeſtas veſtra, vt par, vtq; neceſſe eſt, variis curis & vigiliis diſtinetur, & ad arma, ad acies, ad claſſes parandas, quamuis inuita, trahitur. Hinc fit, vt ego alteram

hanc

Dedicatoria.

hanc Hiſtoriæ Naualis, (*quam ex re* mediam *inſcripſi*) *partem, in tanto rerum æſtu, Seremitati veſtræ ſpectandá præbere vix auſim. Nec auderem planè, niſi illa me cogitatio hærentem traheret, & debilitatum recrearet, Principi arma toto jam animo cogitanti, & rerum imprimis naualium ſtudioſo, non importunè claſſes, & pugnas toto Oceano commiſſas offerri poſſe. Veſtra modo Majeſtas, alteros hoſce ſeruuli tui conatus, eodem, quo priores, vultu reſpicere dignetur. Ita* DEUS *Opt. Max. Majeſtati veſtræ, quia pacem negauit, perpetuam in bellis victoriam tribuat; Rebellibus verò, vel ſanam mentem propitius det, vel quam meriti ſunt pœnam iratus reddat.*

Majeſtatis veſtræ

Humillimus *Aduocatus*.

THO: RIVIUS.

THO. RIVII,

HISTORIÆ NAVALIS MEDIÆ, LIBER PRIMUS.

Argumentum.

CONtinet hic Liber 1° Brevem narrationem de rerum in mari ſtatu à prælio Acciaco ad ſexcenteſimum circiter & viceſimum poſt Chriſtum natum annum. 2 Quæque res Auguſtus poſt prælium Acciacum ad rem navalem pertinentes conſtituerit. 3 Agit præterea de duobus Caſtris navalibus in Italia, altero ad Miſenum, altero ad Ravennam ab eodem Auguſto inſtitutis, deque inſolito maris fluxu & refluxu ad Ravennam & alia tractus illius littora. 4 De Liburnis ab Auguſto adhibitis, deque Liburnis rotatis ab anonymo quodam auctore confictis. 5 De mirabili cujuſdam Delphini manſuetudine & luſu in littore Campano. 6 De Navali expeditione Ælii Galli Contra Troglodytas. 7 De Batavia finibus &

foſſa Druſiana. 8 *De Germanici navali contra Friſios orientales & Caucos apparatu.* 9 *De ejuſdem contra eoſdem expeditione, & in reditu naufragio & morte.* 10 Caius Cæſar *ludos quinquennales ab* Auguſto *in memoriam prælii Actiaci inſtitutos antiquavit. Deinde pontem, primò ex navibus, deinde ex lapide quadrato à Baiis Puteolos uſque per mare ducit.* 11 *De expeditione ejuſdem contra mare Britannicum & victoria.* 12 *De pugna navali à* Claudio, Caii *ſucceſſore, in lacu* Fucini *emiſſione exhibita.* 13 *De ejuſdem in Britanniam expeditione.* 14 *De portu Itcio ſeu Geſſoriaco in Gallia.* 15 *De portu à* Claudio *ad Oſtiam extructo.* 16 *Portum. Oſtienſem & Romanum diverſos fuiſſe.* 17 *Ut Taprobane inſula caſu Romanis in notitiam venit, deq; rerũ à* Claudio *quoad annonam urbi, ordinatione maritima:* 18 *De D.* Pauli, *ſecundo* Neronis *anno, naufragio. Deque hypozomatis, inſtrumento nautico, quibus Nauta ad conſervandam illam navem vtebantur.* 19 *Ut* Lucius Vetus *viam claſſibus à Roma Britanniam uſque per Galliam molichatur.* 20 *De ingenti Romanorum ſub* Nerone *Principe naufragio.* 21 *De navali* Neronis *in Achaiam ad Fidicines vincendos expeditione, deque tentata Iſthmi Achaici perfoſſione.* 22 *De Averni lacu, & inferno ibi à priſcis & qua ratione collocato.* 23 *Et* Neronis *matricidio ibidem commiſſo.* 24 *De Anicero Pontico, & navibus ab eo excogitatis, quas Camerat primò, mox Cumbaria corrupto nomine appellabant, & de* Virbii Gemini *victoria navali contra eum parta.* 25 *De Civilis hominis Batavi præſtantia.* 26

De

De vitrea littoris Judaici natura. 27 *De* Julii Agricolæ *in Britanniam adventu, utque Monam Insulam sine navibus intravit, & Britanniam Insulam planè esse, primus deprehendit; utque terræ jugum, quod duo æstuaria Clotam & Bodotriam interjacet, munivit.* 28 *De maris Erythræi periplo, ab intimo sinu Arabico ad extremam Chinam ab Arriano Historico tempore* Adriani *Imperatoris primùm instituto.* 29 *Denique, de* Byzantii *obsidione maritima & excidio sub Severo Imperatore agit.*

Cap. 1.

Quæ à diluvio ad prælium Acciacum in mari contigerunt, prælia, naufragia, cædes, Ducum & Imperatorum ſeu laudes, ſeu vituperia, quatuor libris præcedentibus exegi. Neque vero mihi recentiorum paulò & mediorum ut dici ſolent, temporum Hiſtoriam navalem nunc ſcribere aggreſſo, quod plerique in ſuis ſcriptis faciunt, præfari licet, certiora me de inceps clarioraque omnia perſcripturum. Queri magis libet ad ſexcenteſimum & amplius à Chriſto incarnato annũ, nullam propemodum de rebus navalibus præbitã eſſe ſcribendi materiam. Non quòd certa pax tanto ſæculorum decurſu terris conſtitit (haud enim aliàs tam ſævæ Martis viciſſitudines) Sed quòd bellorum, quæ inſequuta ſunt, furor penè omnis in Mediterranea vertit. Ibi enim *Varus* cum legionibus à Germanis cæſus: Ibi *Druſus*, poſt ingentes editas Barbarorum cædes, occidit; & *Druſi* comprivignus Tiberius novies in Germaniam ad feroces populi illius animos contundendos ab *Auguſto* miſſus. Inde Getæ Tranſiſtrani

iſtrani, & ultra Viſtulam & Boriſthenem ad Septentriones poſiti Sarmatæ, armis Romanis vſque laceſſiti: donec ad extremum Gothi, Oſtrogothi, Auſtrogothi, Viſigothi, Hypogothi, Gothunni, Alani, Hunni, Vandali, Franci, Saxones, diverſique alii, ſine numero, ſine nomine, populi, alii tranſito Danubio in Græciam & Italiam, Rheno alii in Galliam & Hiſpaniam, alii Oceano in Britanniam hanc noſtram, aliaſq; provincias Romanas irruperunt. Interim verò multa in mari quies erat, raraque prælia in eo edita memorantur. Nulla ferè vt navium ratio, præterquam ad mercaturas & trajectiones faciendas, habita fuiſſe videretur. Sub annum verò à Chriſto nato ſexenteſimum & viceſimum, imperante tum *Heraclio*, Saraceni, gens impia, ſed bellorum in omni genere ſucceſſibus incredibiliter provecta, maria omnia claſſibus, veluti ventis & turbinibus immiſſis, everterunt. Itaq; & Chriſtiani paribus armis in adverſum ire, non jam de gloria & imperio, ſed de fortunis & fide Chriſtiana decertaturi, cogebantur. Suborta deinde eſt gens Veneta, parvis illa, ut omnia, initiis: ſed quæ navalibus victoriis, contra Gallos primò, deinde, contra Hunnos, infra ſtagnum ſuum nobilitata, mox paludibus ſuis egreſſa, & mare claſſibus tentare auſa, vnicum propè in mare contra Saracenos Chriſtiani orbis vallum & propugnaculum eſſe cœpit. Jamque res magnæ quidem navibus geri cœptæ ſunt, ſed quæ omni hiſtoriæ luce careant. Itaque non ut prius in aperto & pleno rerum Oceano, ſed veluti per vada quædam, & freta, &

concur-

concurrentes inter ſe ſcriptorum Symplegadas denſiſque ſine omni Cynoſura tenebris, navigandum mihi eſſe video. Sed veteri proverbio, *Quod eſt: ea uti decet* nec ego unquam mihi in animum induxerim res parvas verbis majores facere; ſatis perſuaſus prudentem lectorem ſimplicem rerum veritatem malle; nec turbas & tempeſtates in hiſtoria (ſi abſint) magis, quam in ipſo mari, velle quærere.

Octavius tam inſigni ad Accium victoria lætus, quo perennior ejus memoria ad poſteros permaneret, quatuor ipſo loco memorabilia inſtituit. Templum *Apollinis*, pervetuſtum quidem ſed exiguum, auxit, & celebratiſſimis toto terrarum orbe templis par effecit. Urbem Accium ampliavit, & à victoria *Nicopolim* appellari juſſit; Ludos quinquennales ad Nemæorum & Olympiorum imaginem ordinavit; Locum denique, quem caſtris ceperat, Marti pariter & Neptuno ſacrum fecit, triremeſque ſuas vtrique conſecravit. Quibus peractis, quum *Antonium* & *Cleopatram* in Ægyptum abiiſſe comperiſſet, Samum in hiberna conceſſit, inde res eorum ex propinquo ſpeculaturus. Quùm ſubitò nuntiata ei veteranorum, quos in Italiam præmiſerat, ſeditione, eò ſibi ſine mora profiſciſcendum eſſe cenſuit. In itinere bis cum atrociſſimis tempeſtatibus conflictatus eſt, ſemel juxta Accium, iterum, nec procul inde, ad Ceraunia: vtrobique partem claſſis amiſit; ipſa etiam in qua mundi Dominus ferebatur navis, vndam vndique accipiebat; ſed cadente mox vento Brunduſium in Italia, ſeditionis ſedem, Cap. 2.

remis enatavit; Ibi haud leviore militum motu exceptus, quam quo nuper in mari jactatus fuerat, totos ſeptem & viginti dies rebus componendis dedit. Ordinatis verò militum deſideriis, Samum repetit. Ibi dum recenſendis pro more captivis operam dat, inter cæteros victoris judicium ſubituros producitur *Metellus pater*. Hic in prælio Acciaco Antonianarum partium dux fuerat, idemque Cæſari infenſiſſimus, quique nullis vel præmiis vel promiſſis adduci poterat, ut relicto *Antonio* ad *Cæſarem* tranſiret; filius verò ejus *Metellus junior* pari ſtudio & ardore animi *Cæſarem* ſequebatur, fortemque & fidelem ei contra *Antonium* navabat operam; quamvis & patrem in adverſa claſſe pugnare non ignoraret; nec ab eo forſitan, ſi in acie occurriſſet, in tanta animorũ concitatione declinaſſet. Fuſo verò *Antonio*, ab ignorantibus quis eſſet, captus & inter alia ignobilia capita Samũ vt dixmus abductus fuerat. Fortè accidit, ut quum nomine citaretur Pater, filius *Octavio* aſſideret: qui quum patrem ſqualore quamvis & ſordibus obductum, tamen agnoviſſet, ſubito proſiliit; & genibus ejus advolutus totum lachrymis perfudit. Mox ſedato vultu ad Octaviũ reverſus *Tibi Cæſar*, inquit, *hic hoſtis fuit, ego ſocius; hic poenam meruit, ego præmium. Tu igitur aut propter me patrem ſerva incolumem, aut me cum illo ſimul perde.* Nec fruſtra tanta pietas in parentem fuit: cæteris damnatis, patrem *Cæſar* filij lachrymis condonavit. Nec ita multò poſt circumito Aſiæ Syriæq; & Ægypti littore, Alexandriam venit; vrbem obſedit, dedi[illegible]que recepit,

Metellus pater & filius.

cepit; *Antonium* ad mortem adegit; nec nuntio contentus, jacentem vidit; *Cleopatram* vivam ſervaſſe voluit; ſed mulier, ad quid aſſervaretur haud ignara, vitæ ſimul & conditionis in quam ceciderat vincula, admotis pectori aſpidibus, abrupit; fruſtra indignante *Octavio* quod ſui triumphum ſibi invidiſſet. Romam inde reverſus prima quæque tempora ludis & ſpectaculis, ad demerendos vulgi animos, eoſque à præteritorum malorum ſenſu avocandos dedit. è quibus longè præcellentiſſimum erat pugnæ Acciacæ ſimulacrum navale, cavato circa Tiberim in immenſum ſolo, & immiſſo flumine exhibitum; quo peracto, Agrippam, cujus forti fidelique opera inea potiſſimùm pugna uſus fuerat, Vexillo cœruleo, ipſo colore victoriam in mari partam denotante, donavit. Exercitus deinde per loca opportuna toto orbe Romano, & præſidia ad pacem ſemel partam perpetuò firmandam diſpoſuit. *Antonii & Cleopatræ mors.*

Inter alia, duo Caſtra navalia, alterum ad Miſenum, alterum ad Ravennam conſtituit; Jacet Miſenum ad mare inferum loco commodiſſimo, inter Cumas & Neapolim medio: quique antiquitùs celebratus nomen à Miſeno *Æneæ* tubicine ibi ſepulto inveniſſe creditur. Ravenna vero mari ſupero imminet, inter duorum fluminum Padi & Rubiconis oſtia poſita; loco per ſe claſſibus haudquaquam opportuno; eſt enim, (ſaltem Strabone & Procopio antiquioribus olim erat) totus ille tractus vadoſus planè & brevibus impeditior; ſed quum caſtrum navale ad maris ſuperi tutelam omnino ſtatu- Cap. 3. *Duo caſtra navalia ab Auguſto inſtituta.*

dum

dum erat, nec alius opportunior ad eam rem oſtenderetur locus, eo planè vtendum erat; enimvero *cùm res ad conſilia noſtra trahi nequeant, noſtra conſilia rebus aptanda ſunt.* Accedit eôdem, quod in loci hujus difficultatibus enumerandis, illud Procopius Cæſarienſis libro primo de rebus Gotthicis inter naturæ miranda recenſet; quod primo quoque diluculo mare fluminis in morem, æſtu ſe inferente, incontinentem ad viginti & amplius milliaria procurrat; indeque ſero veſperi, æſtu ſoluto, refluat; non tamen æqualem ſemper æſtum eſſe, ſed à coitu Lunæ creſcentis, ad ſemilunium mare minus efferveſcere, à ſemilunio vero ad plenilunium, indeque ad alterum, decreſcente ſidere, ſemilunium, fluminis, ut dixi, in morem longè in terram proruere affirmat; idque non ſolum ad Ravennam, verum etiam toto illo tractu ad Aquileiam uſque obtinere docet; Quæ ſi ita ſint, non immeritò ea *Procopius* inter rerum miracula ponenda cenſuit. & illud quidem ſæpe percontando audivi, magis magnos in intimo illo ſinu æſtus, quam in littore Liguſtico, Gallico, Hiſpanico, aut omni reliquo Mediterraneo mari fieri: idq; multis de cauſis evenire poſſe video; ſed quod fluendi & refluendi tempora à ſole, modus & menſura à luna pendeant, niſi authore poſito, dicere profectò non auderem. Quanquam quid ego hoc, inter naturæ miracula meritò adeo à *Procopio* relatum eſſe dixi? quum ex doctiſſimorum virorum ſcriptis non vnam eandemq; ſed diverſam planè æſtuum & reciprocationum rationem pro locorum varietate eſſe didi-

De fluxu Maris ad Ravennam.

didicerim. *Picus* certè Mirandulæ, Comes, dum Aſtrologos divinantes exagitat, ſub zona torrida, nullam planè maris reciprocationem eſſe confirmat; vbi tamen Luna, vtpote in loco perpendiculariter ſubjecto, vires ſuas maximè exerere & oſtendere debuerat. Idem ex *Abenzare* philoſopho Saracenico docet, non eſſe eadem in mare acceſſuum & receſſuum initia, *ne quidem ubi nulla de finitore contrarietas reperitur*; quod fieri non poſſet, ſi à Lunæ aſpectibus res hæc penderet. deniq; quum, Luna ſub pedibus noſtris conſtituta, fluxus tamen ſoliti in noſtra horiſonte fiant, quî tandē id ex Lunæ, ſive lumine, ſive alia influentia causā trahere poſſit, *Pharorianum* philoſophum in ea re ſequutus, exigit. Quid? quod doctiſſimus ille *Scaligerus* in quinquageſima ſecunda exercitatione ad Cardanum, in Oceani Sur littore Boreali nullum, in Britannico noſtro vehementem vndique æſtum eſſe docet; in Auſtrali Sur ad Beraguam littore validum, in Gallico & Hiſpanico, quà mediterraneo obverſatur, perexiguum, in Liguſtico veſtigium fluxus & refluxus nullum apparere contendit. Sed nec eadem vbique fluendi & refluendi ſpatia eſſe annotavit; *Maxima parte ſenis*, inquit, *fluit horis mare, totieſq; reflnit*: ad Genegā tamen Æthiopiæ quaternis horis accedere, octonis recedere teſtatur; addit deniq; & illud, in mare Calecutio pleniluniis, ad Indi Fluminis littora (nec longè quidē diſtant) novilunliis maris incremēta fieri equidēmirarer, niſi in noſtro hoc oceano vtraq; Lunæ mutatione æquè vehementes & ingētes maris auctus fieri viderē.

Caius

Caius verò *Cæſar* in libro tertio de bello Gallico, in littore Armoricano æſtum bis ſemper duodecim horarum ſpatio ſe incitare, bis recipere affirmat. Eurypum enim ſeptenoſque ejus per ſingulos dies auctus & imminutiones, quis referente fama non audivit? Itaque ſi intimo illi ſinus Adriatici receſſui, ſuus ſit, & à cæteris diſpar acceſſuum & receſſuum (quod *Procopius* affirmat) modus, vt inſoliti forte aliquid, ita nihil planè miraculi in ſe habere cenſeri debet. Illud modò apparet, ſtatas has per diverſa littora fluxuum & refluxuum viciſſitudines, non à ſole, non à luna, non à cœleſtium ſignorum aliquo, ſed à lege ſibi à rerum opifice in prima mundi creatione indita, quamquam nobis hactenus incognita, pendere. Nam ad Lunam quod attinet, cum ea deficiente maris fluxus & refluxus nec vſpiam nec vnquam intermitti videam, equidem ſi tota è cœlo tolleretur, ſuos tamen mari æſtus non defuturos putem. Verum in cauſa præſenti hoc accedit incommodi, quòd non aliæ nunc dierum ſint ad Ravennam & Venetiis, quam alibi terrarum maris viciſſitudines; nec jam amplius ad ſolis ortum & occaſum, ſed ad lunæ quadras æquoris illius procurſus & reciprocationes temperentur. Idem de littore, quod dixi, Armoricano ſat certa fama referente habeo. Non enim bis ſingulis duodecim, ſed viginti quatuor horis fluit ibi refluitque mare. Vnde è duobus alterum fieri neceſſum eſt, vel tantos authores, *Cæſarem* dico & *Procopium*, in rebus quas ſuis vterque oculis præſens ſpectavit, per incuriam

halluci-

hallucinaſſe, vel æſtuum & reciprocationum aliam tunc, quam nunc dierum ſit, fuiſſe rationem. Vtrumvis duriuſculum; Sed enim in opinando liberum cuiq; et ſuũ ſit arbitrium: ego res, vel vt ſunt, vel vt traditas reperi, referre, non juris modò, verum etiam officii mei eſſe cenſui.

Cap. 4. *Duæ claſſes Romanæ.*

Verùm ut ad *Auguſti* navalia redeam, vtrobique, tam ad Miſenum quam ad Ravennam claſſis cum ſex armatorum millibus partitis officiis ſtabat, & vtrique claſſi ſuus Præfectus velut Amirallus datus erat. Hii vniverſi maris mediterranei curam agebant; vt ſi quà vel Piratarum vel hoſtium claſſes ſe commoviſſent, eorum conatus primo impetu opprimerent. officia autem ſic diſpertita erant, ut Miſenenſis, Galliam, Hiſpaniam, Africam & Siciliam, cum Inſulis circumjectis: Ravennatenſis vero claſsis vtrumque ſinus Adriatici littus, Peloponeſum, Græciamque omnem maritimam, Propontidem vſque, cum vniverſo Aſiæ Syriæque littore, & Ægyptum curaret. Quod ſi qua expeditio mari facienda erat, ad hæc duo loca conventus nautici indicebantur. Qua in re veteris Reipub. diſciplinam correxit *Cæſar*. Illi enim oneris & impenſæ tædio, ſilente in mari bello, omnẽ mox claſsis alendæ curam abjicere ſoliti. Idem & in ipſo Carthaginenſium Imperio vitium ſæpenumero notatum. *Auguſtus* vero ejuſque inſtitutum cæteri deinceps Imperatores ad aliquot ſecula ſequuti, ſeu pax, ſeu bellum erat, claſſes in procinctu ſemper habuerunt. Magnũ exemplum, & tibi Clementiſſime Invictiſſi-

tiſſimeque Domine noſter Rex *Carole*, quod jam facis, & ſemper precor facias, ſequendum. Nemo enim eum bello temerè laceſſierit, quem expeditum ad reſiſtendum & paratum ad vindicandum eſſe viderit. His certè artibus, hac virtute & prudẽtia tua, ſeptentrionalis huius Oceani imperium longa pace jacens reſtituiſti, & antiqui illius Regis *Edgari* terra marique ſucceſſorem verè te eſſe demonſtrâſti.

Cap. 4. Magnum etiam *Auguſtus* in ipſo genere navium, quibus ad bella vteretur, eligendo rationem habuit. Prælio Acciaco quanta vis Liburnis ineſſet expertus, non alio deinceps genere claſſes ſuas conſtare voluit. Itaq; quas ad hæc *Liburnæ.* tempora, vel ab ordinum numero triremes, vel ab vſu bellicas, vel à forma, qua à rotundis ſive vectoriis diſtinguebantur, longas dixerunt, eas deinceps Liburnas omnes appellabant. Neque verò exiſtimandum eſt Liburnas has tota ſui forma à cæteris diverſas fuiſſe; remis enim, & interdum velis vt cæteræ, totidemque remorum verſibus pro magnitudine quæque ſua agebantur: ſolo verò artificio & velocitate reliquis præſtabant. vnde *Appianus* in Illyricis, naves levitate & celeritate præſtantes, *Liburnicas* à *Romanis appellari ſolitas* affirmat. Nam quod *Liburnæ Rotatæ.* ad Liburnas rotatas attinet, quas Arcadii demum & Honorii temporibus ſub annum Domini quadringenteſimum inventas, editiſque libellis eorum nomini ab Anonymo neſcio quo auctore dicatas fuiſſe legimus, ego eas meras nugas & vigilantis planè hominis inſomnia fuiſſe puto. De quibus tamen elogia tot tamque exi-

mia

mia feruntur, ut cætera omnia navigiorum genera præ illis ſordere & nihili faciẽda eſſe putes. *Liburna*, inquit, *pro mole ſua, proque machinis in ſe operantibus, tanto virium fremitu pugnam capeſſit, ut omnes adverſarias Liburnas comminus venientes facili attritu comminuat*, addit & illud, *ſingulas rotatas decem aliis quibuſcunque navibus præſtare: quis enim*, inquit, *hujus viribus reſiſtat quæ & terreſtrig vehiculi nititur firmitate, & habet de navigii celeritate remedium?* Equidem mirari ſoleo, non ſolum Stewichium, hanc ſcilicet admirabilem, vt ait, & novam planè Liburnæ rotatæ figuram, ab ignoti nominis & Bæotici pectoris autore deſumptum, ſuis ad Vegetium doctiſſimis alioqui commentariis inſeruiſſe, verùm etiam *Guidonem Pancirolam*, virum Italum in ſuis *Notitiarum Imperii explanationibus* idem ut faceret in animum inducere potuiſſe. Nam quis in bove, lento, ut ſcimus, animali ad tantam vim cum tanta celeritate inferendam impetus? quid? quod bobus, omni paulo vehementiore navis jactatione, procumbere, mugituſque horrendos edere, & ad quamlibet navis in alterutram partem inclinationem ruinæ in modum procidere, mos eſt. Conſultiùs profecto adhiberentur equi: hii enim nave ventis agitata, & fortiùs conſiſtunt, & quacunque vis tempeſtatis ingruerit, in adverſum ſemper, & quidem totis quantum valent viribus, nituntur. Denique nulla hiſtoria rotatas haſce vſu vnquam receptas, nedum aliquo in numero fuiſſe, docet. Claſſes igitur *Auguſtus* ſemper duas ad omnes occaſiones in procinctu habuit. Quo conſilio

non

non illud modò effecit, ut mare omne Mediterraneum à bellis conticesceret, sed ut ne latrociniis quidem, quæ pacem maritimam vt vmbra corpus, sequi solent, infestaretur; Littori vero Italico, quà mare Tyrrenum spectat, tanta repente lux affulsit, vt quà nemo antea larē fovere ferè audebat, eò nunc, voluptatum captandarum causa popularitèr confluueretur: quæ quum magna copia iis in locis humano ingenio pararentur, tum fortuna ipsa nonnullas illo tempore suppeditabat: è quibus vnam, quum navigationis speciem quandam præ se ferat, hoc loco commemorasse, abs re ne fuerit.

Cap. 5. Puer quidam, dum Delphinum, juxta littus Campanum sub aquis ludentem cernit, injecto sæpe panis frustulo in tantam sui consuetudinem pertraxerat, ut cibum de manu ejus primum caperet, mox voce vocantem sequeretur, alluderetque sæpe, & demum terga premenda adolescentulo præberet. crevit & puero ex assiduitate fiducia. Itaque ut equi sic delphini ie submittentis terga pressit: & delphinus sessorem suum paululùm primò in mare provectum, rursus ad terram, veluti formidini puerili indulgens referebat. Longiùs deinde longiúsque, crescente cum consuetudine audacia, in profundum invectus, totum primum lacum Lucrinum, mox quicquid inter sinum Baianum & Puteolos maris est, per ducenta & amplius stadia, insidente semper puero & spectante populo, peragravit. Nec hoc semel iterumvè factum, sed ixcenties repetitum fuit: Tota ut Roma, tota ut Italia veluti ad spectaculum

Delphini Mansuetudo,

confluē-

conflueret, donec ad extremum res ipſa tòties ſpectata miraculo ſpectantibus eſſe deſiit. Multi hanc rem grauiſſimis authoribus prodiderunt. *Caius Plinius* & *Julius Solinus*, ambo ſpectatæ fidei viri, quũ ab aliis bonæ fidei viris, tum ab ipſo *Mecænate*, ſcriptis proditam fuiſſe referunt; Quibus ego *Appianũ Alexandrinũ*, teſtem, vt ipſe de ſe in Ægyptiacis refert, oculatũ adjungo. Neque verò hoc in iſto vno delphino contigit. Nam & ſub eodem fere tempore, alter ejuſdem generis piſcis in littore Hipponenſi par ſui ſpectaculum exhibuiſſe dicitur: eo mirabilius, quod non vni, vt ille alter, adoleſcentulo, ſed cuilibet è populo ſe inſidendum præbuit. Parùm vt abfuerit quin ipſe *Flauianus* tunc Africæ Proconſul rei periculũ in ſe faceret. Manu certe belluam ſæpe contrectauit & vnguento demum ſoporifero incautam inunxit; cujus injuriæ impatiens per aliquot menſes hominum conſuetudinem & conſpectum vitavit; rediit tamen poſtea cum humano genere in gratiam, & veluti acceptæ injuriæ oblita, iterum ſe, vt priùs, viſendam, palpandam, inſidendam dedit. Par portentum de alio delphino ab antiquiſſimo authore Egeſſidemo in littore Aſiatico proditur: planè vt vetus illa poetarum de *Arione* citharœdo à prædonibus in mare projecto, & à delphino excepto, & in terram expoſito narratio, non fabulæ conuicium, ſed hiſtoriæ pœnè fidem apud me mereatur.

Rebus in Italia conſtitutis & Ægypto in Cap. 6.
provinciæ formam redacta, magna *Auguſtum*

inferiora ſinus Arabici loca ſcrutandi, & Romanæ ditioni ſubdendi inceſſit libido. Itaque *Ælium Gallum* in Arabiam miſit, ut eas gentes & loca pertentaret; Æthiopumque montes & Troglodytas, gentem Sinui Arabico ex Ægypti latere conterminam, ſed Romanis ad illum diem incognitam, vel terra vel mari aggreſſus ſubjugaret; quippe referente fama inaudierat, ex omni tempore ditiſſimum hoc hominum genus eſſe, quique auro, & argento, & pretioſis lapidibus aromata ſua permutarent, auri verò & argenti ſiliquam ſemel illatam, extra terram ſuam ad merces aliundè quærendas non transmitterent. Qua expeditione è duobus alterum ſe conſequuturũ exiſtimabat; aut enim divitibus amicis vſurum, aut locupletes inimicos ſuperaturum ſe eſſe non diffidebat. *Gallus* igitur quendam nomine Sylæum Nabatæorum populi legatum, tanquam locorum, & itinerum, & cujuſque gentis morum & conſuetudinum peritum, itineris ducẽ adhibebat. In quo tamen nihil fidei reperit. Nam nec tutum iter, nauigantibus monſtrauit: & per auia, & longos anfractus, & loca omnium indiga, & littora importuoſa ducens, claſſem vndiq; vel occultis cautibus, vel cœnoſis vadis & breuibus obiecit. Enimverò in ipſo ſtatim initio, eo peccatum fuerat, quod hortante Sylæo naues longas & bellicas *Gallus* ædificari juſſerat, quarum nullus uſus in illa expeditione futurus erat; neque enim bellum in mare, quod timeretur, erat; & in tantis locorum anguſtiis ipſa naulium longitudo impedimento ſemper, ſæpe

Troglodytarum gens.

&

& exitio erat. Veruntamen *Gallus* octoginta triremes aliaſque biremes extruxit, quibus inſuper centum & triginta onerarias adjecit. Cum qua Claſſe, & decem millium exercitu profectus, totos octo menſes fruſtra, & inutiliter inſumpſit, rediitq; inglorius, & non ſolum nullam facti gratiam ab *Auguſto* retulit, verumetiam ægrè ſe, culpam in Sylæum rejiciendo, tutatus eſt.

Mortuo deinde *Auguſto* ſucceſſit *Tiberius* *Cap. 7.* *Ceſar*: quo Imperante nihil planè in Mediterraneo motum eſt. *Germanicus* verò *Druſi* defuncti filius, dum *Tiberii* auſpiciis Germaniam perdomaret, Claſſe primum fluviatile Rhenum amnem obtinebat: Sed quum pacata vtraq; fluminis ripa ad aquarum divortia, & Batauos deſcendiſſet, de majoris generis claſſe paranda rationem iniit. Omnium quæ in Europa ſunt fluminum maximum poſt Danubium eſt Rhenus. Hic longiſſimo tractu delatus, vbi ad Cliuiam & *Skenkii* (vt nunc vocatur) *Scanſum*, ſeu Caſtrum peruenit, in duo cornua ſe ſcindit. Quorum quod ad Occidentem vergit, veteres Belgas à Batauis diſterminat; & priſcis accolis, vt author eſt *Ceſar*, *Vualis*; vt *Tacitus*, *Vahalis*; vt *Aimoinus* Monachus, *Walis* dicebatur: nunc verò *Waell* dicitur. Alterum verò, nomen *Rheni*, vt ait *Tacitus*, ad Oceanum vſque ſeruabat; quod tamen poſtea *Fleui*, & demum *Iſele* nomine mutauit. Hoc igitur brachium vbi ad Arenacum ſiue Arnheimum deſcendit, paulatim ad dextram flectitur, & in ſpacioſum lacum, qui maris

Rhenus fluuius.

instar habet, quique *Zuider Zee* nunc est, effunditur: Ad cujus os, castellum quoddam erat, *Flevum* etiam vocatum, vt docet *Tacitus*; inter quod & Helinum (Castrum illud aliud erat, ad Vahalis seu potius Mosæ os, vt vult *Plinius*, positum) Batauia insula integra collocatur; idque *Adrianus Junius*, *Abrahamus Ortelius*, & alii ex gente illa doctissimi viri tradiderunt. Qua de re tamen, *Philippus Cluverius* litem illis, non ita pridem, acerrimam movit, & grauius in eos quam pro materia, aut quàm doctarum gentium Jus finit, inuehitur: idque non solum in libello, quem *de tribus Rheni alueis & ostiis* inscripsit, verum etiam in latiore suo volumine, cui *Illustrata Germania* titulus est, exequitur. Nec tamen video, quid magni in ea re præstiterit. Tres nimirum Rheni alueos, totidemque ejus ostia esse vult; quid ni? totidē enim à *Cl. Ptolomæo* libro tertio Geographiæ Rheni ostia enumerantur, *Occidentale* nimirū *medium*, & *Orientale*. Sed hæc antiquitùs fuisse nego; Indicio fuerit clypeus ille *Æneæ* à *Vulcano* olim faberrimè cælatus, & à Poeta in octauo Æneidis suæ libro illustratus; vbi *Rhenus bicornis*, hoc est, non triū, sed duorū cornuū seu ostiorū flumē esse dicitur: quibus tertiū postea ex fossa illa, quā *Drusus Augusti* priuignus in illa terra duxit, & *Drusiana* dicitur, hominū opinione, accessisse potuit. Veterum enim plerique *Drusi Fossam*, vt erat, fossam, non Rheni alueum appellarunt; Itaq; & *Pomponius Mela*, qui temporibus subinde Claudianis scripsit, duorum tantum alueorum & ostiorum meminit;

Rheni ostia duo.

nit; & *Claudianus* Poeta qui *Honorio* demum Imperante vixit, veterem morem sequutus, Rhenum *bifido* in Oceanum Germanicum *meatu* effundi, in primo de rebus Geticis libro cecinit; *Plinius* verò, qui medio inter hos tempore scripsit, tertium Rheni os subindicat, potius quàm demonstrat; solus *Ptolomæus Plinio* subtemporaneus, tria, ut dixi, ora posuit. Sed major nunc restat controversia, quænã è tribus fossa illa Drusiana fuerit, aut vbi collocanda: vt hoc percepto, quæ natiua Rheni ostia, quiq; veri Bataviæ fines fuerint, intelligatur. Quum enim dextrum Rheni brachium, vbi ad Arnheimum descendit, in duos rursus alueos abeat, quorum alterum, dextrorsum flectitur, & per lacum, qui *Zuider Zee* nunc dicitur, in Oceanum ejicitur, alterum recta *Lugodinum* sive *Lugdunum Batauorum*, quod *Leiden* nunc est, delabitur, *Cluverius* hunc scilicet natiuum Rheni alueum, Batauos à Germanis ab Oriente terminantem esse contendit; alterum verò illum ab Arenaco vsque dum Nabaliæ flumini conjungitur, *Drusi* Fossam esse pugnat: quod nullo mihi judicio facere videtur; primum enim, si hoc Rheni ab Arenaco ad Nabaliam fluuiũ diuergiũ *Fossa Drusiana* sit, quid tandem de tertio Rheni alueo fiet? apertè enim constat hunc, qui in *Zuider Zee* exit, ante Fossam illam à *Druso* in eum, vt vult *Cluverius*, ductam, *Rheni* alueum non fuisse, sed *Nabaliæ*. Deinde, quid si nulla vnquã Nabalia fuit, in quã *Drusi* Fossa illa duci potuerit? nomen certè Nabaliæ semel tantum, ni fallor, idq; apud *Tacitum* sub ipsum

hiſtoriæ ejus finem inuenio; nullam autem ejus vel *Tacitus* alibi, vel *Strabo*, vel *Plinius*, vel *Solinus*, vel *Mela*, vel *Ptolomæus*, vel antiquiorum quiſquam mentionem facit; quæ ſi non eſſent, hunc tamen ipſum *Taciti* locum *Juſtus Lypſius* emendandum, & pro Nabalia Vahalim ponendum eſſe cenſuit: & meritò; Res enim ipſa, qua de ibi agit *Tacitus*, non ad Germaniam, quæ dextro Rheni alueo à Batauia excluditur, ſed ad Galliam, quæ Vahali terminatur, pertinet; Poſtremò *Ptolomæus* Orientale Batauorum latus fluuio Rheno à *magna Germania* diſterminari monet. Hoc autem quis non videt, de Tranſiſelana regione intelligi? præſertim quum idem *Ptolomæus Germaniæ magnæ*, hoc eſt, *ſuperioris* ſitum adornaturus, Occidentale ejus latus Rheno vbique amne terminari doceat. Quis autem vnquam aliquam Batauiæ particulam, quæ modo inter Fleuũ, quod dixi, & Helinum locatur; & Hollandia nunc eſt, *magnæ Germaniæ* aſcribendam eſſe cenſuit? Verum ne qua ſit vltra dubitatio, quibus tandem finibus claudatur Batauia, illud primo ex *Taciti lib. ſecundo Annalium*, conſtat, duos Rheni alueos Batauorum inſulam, alterum ab Occidente, alterum ab Oriente claudere; nec de occiduo ſiue ſiniſtro ejus alueo vlla dubitandi ratio ſubeſt; Vahalem enim eum *Tacitus*, ut dixi, appellat; de orientali vero ſic; *Rhenus*, inquit, *apud principium agri Batani, velut in duos amnes diuiditur, ſeruatque nomen & violentiam curſus, quà Germaniam præuehitur, donec oceano miſceatur.* Ex quo profecto efficitur, quod

quod vbicunque dexter ſiue orientalis Rheni alueus in Oceanum effunditur, ibi inſulæ Batauiæ terminus ſimul ad Orientem ſtatuendus ſit: id verò à nullo autore æque certò traditur, atque à *Pomponio Mela* libro 3. de ſitu orbis, *Rhenus*, inquit, *ab Alpibus decidens, haud procul à mari huc & illuc diſpergitur: ſed ad ſiniſtram amnis etiam tum & donec effluat Rhenus. Ad dextram primo anguſtus & ſui ſimilis: poſt ripis longè & latè recedentibus jam non amnis, ſed ingens lacus, vbi campos, implevit, Fleuo*, (nomen haud dubiè à Latino fluuio detortum) *dicitur, ejuſdemque nominis inſulam amplexus, ſit iterū arctior, iterumque fluuius emittitur.* Addam & doctiſſimi viri *Joachimi Vadiani* ad hunc *Melæ* locum Commentarium, *Cornelius Tacitus*, inquit, *libro tertio Fleuum caſtellum eſſe ait, propè Rheni in oceanum exitum, à quo aut ſumptum nomen, quod alueo daretur, aut certè mox ab alueo natum retentum eſt.* Ex quibus profectò efficitur, alueum illum quem *Tacitus* nomen Rheni ſeruare, & Germaniam præteruehi dixit, eundem eſſe, qui in Fleuum lacum, hoc eſt, in *Zuider Zee* primum, & deinde in Oceanum inter Enchuſenum & Worchum effunditur. Rhenus itaq; hiis duobus cornibus Batauiam complectitur: & quicquid terrarum hoc ſpatio continetur, *Batauorum Inſulæ* omne accenſeri debet; nec Calculi Pliniani, ſi quis ſit, error tam certos & à natura præſtitutos terminos mouere debet. Reſtat igitur, fluuiū illum, qui ab Arenaco Lugdunum deſcendit, & inde olim, nullo lacu medio, in oceanum decurrebat, non

natiuum, ſed factitium, & *Druſi* planè *Foſſam* eſſe, eamque illuſtrem illam Batauorum Inſulam, non ad Orientem finire, quod vult *Cluuerius*, ſed mediam ſecare. Nam ad illam Viginêri in ſuis ad *C. Caſarem* Commentariis ſententiam quod attinet, qua ex doctorum quorundam (vt ait) opinione, *Druſi* Foſſam illam eſſe putat, quæ à dextro Rheni brachio ſupra Arenacum ducta Roterodamum perducitur, planè eum non à *Druſo*, ſed à Civili, homine Batauo, poſtea ductam fuiſſe, non alii modo, verũ etiam ipſe *Cluuerius* exiſtimauit: & propterea medium Rheni oſtium haud perperàm ad Lugdunum in ſua Tabula, non ad Roterodamum, collocauit. Quibus de rebus hactenus dicendum eſſe exiſtimaui, non vt me Coſmographorũ litibus immiſcerem, ſed ne Batauorũ genti, terreſtri militia jam tum claræ, futuris verò temporibus vſu etiam nauali cum primis nobilitandæ, ſuos interim fines in obſcuro (ſi tamen id hac breuitate perfecero) eſſe finerem.

Cap. 8. *Germanicus* igitur cum Cauchos, hoc eſt, Friſios quotquot inter Amaſiam & Viſurgim fluuios incolebant, ſubigere in animo haberet, nec eò terreſtri itinere propter vaſtiſſimas paludes, terræque labem, & voragines anfractuſq; maris longis tractibus in terram procurrentes, ſine ingentibus & inſuperabilibus difficultatibus perueniri poſſe perſenſiſſet, mille carinarum claſſem fabricari juſſit; nec jam ampliùs ſcediis & fluuiatilibus ad Oceani impetum fidere auſus, juſtas triremes magno numero inſtrui curauit. Hæ verò omnes ambiguæ inter longas

longas & rotundas, hoc eſt, inter bellicas & onerarias formæ, ipſo *Germanico* nodum monſtrante, erant; vtque longis breuiores, ita onerariis longiores erant, ventre modò ad onera ferenda projectiore. In quo genere nauium illud præcipuum erat, quod quùm reliquæ ferè omnes, puppes à carina repandas haberent, iſtæ non minus has quam ipſas proras faſtigiatas & acutas, ad vim fluctuum leuiùs tranſmittendã, autore *Tacito*, habuerunt. Multi ſæpè duces nauibus nouandis animũ adjecerunt: ſed nemo vnquam *Germanico* ſolertiùs; quicquid enim alii priùs adinuenerant, id omne ſuæ Claſſi inſtruendæ nulla inuidia adhibuit, carinas nempè ad vada tranſmittenda planas & tabulata ad tormenta ferenda toto fororũ ſpatio ſtrata. Sed in eo omnes ante ſe Romanos Græcoſq; & Punicos Imperatores inuentionis acumine ſuperauit, quòd non ſolum proram puppimque pariter acuminatas fecit, verùm etiam vtrique gubernaculum appendit: in eum ſcilicet finem, vt ſi in anguſtos flexuoſoſq; canales, & veluti angiportus maris, quà progredi non licebat, incidiſſent, conuerſis ſaltem remis, tutò & expeditè viâ quâ venerant redire poſſent. Quam rem, loci natura conſiderata, præſenti ad omnia, quo plurimum valebat, ingenio excogitauit. Erat enim totus ille tractus, vt vbique ferè vadoſus, & pleriſque in locis hinc arenarum, illinc cœni objectu minimè peruius, ita anguſtiſſimis hic, illic, ſed profundis vbique alueolis natabilis; in quos ſi incidiſſent, nulla circumflectendi, propter navis in arcto deprehenſæ longitu-

longitudinem relinquebatur ratio. Reſtabat modo vt per eoſdem tramites quibus venerant, ſe referrent: id autem per tam multiplices flexus & veluti mæandros ſub aqua latentes, niſi prora, quæ erat, in puppis vſum verſa, & regimine appenſo, fieri nulla ope humana potuit.

Cap. 9. *Germanicus* inſtructa claſſe Foſſam Druſianam ingreditur. Quumque aliis Ducibus & claſſium Præfectis mos eſſet, inter orarũ ſolutionem, Deos maris, extis & precibus placare, ille pro omni Numine *Druſum* patrem in ſumma puppe ſtans inuocauit. *Druſe pater*, inquit, *qui primus hac ducta foſſa viam Romanis in Septentrionalem oceanum aperuiſti, adſis ô: meque tuum filium, tua veſtigia, & virtutum tuarum exempla ſequutum, rerum à te geſtarum memoria præſens juva. Nevè me Imperium Romanum vltrà Albim proferre conantem defere: ſed vexata olim Italia pœnas à Cimbris exigentem tuo Numine confirma.* Quibus nuncupatis, ſtricto enſe retinacula abrupit: & ſecundo flumine delapſus in oceanum nunquam ante à Romano remige tentatum euaſit. Lectoque Friſiæ Occidentalis littore Amiſium amnem ſubit. Hic amnis *Ptolomæo* Amiſius, audit. *Straboni* Amaſia dicitur: in quo Bructeros à *Druſo Germanici* hujus patre prælio nauali ſuperatos fuiſſe narrat. Nec aliud habeo, quod de hac pugna referam, quam commiſſam fuiſſe. Flumen ipſum nunc Eſme vel Eme dicitur; ad quod nobiliſſimum Friſiorum emporium Emdena civitas conſpicitur, pauloq; inferius ad mare & Aquilonem Nordeſme, vulgò Norden dicta.

dicta. *Germanicus* vbi flumen cum claſſe ſubiiſſet, milites ad lævam, quæ orientem ſpectat, expoſuit, Canthoſque minores, qui nunc Friſii orientales ſunt, multa virtute concidit. Mox interiora regionis illius vbi penitus intraſſet, Bructeros iterum, & omnes inter Amiſiam & Viſurgim, ſiue Veſurim amnes, (qui nunc variato paulum nomine Weſer eſt,) terras, hoc eſt Oldenborchiam, vniuerſamq; Weſtphaliam & Saxoniam ad Albim vſque fluuium victricibus armis, peragrauit. Erat *Germanico* animus, tranſmiſſo Albi flumine, longiùs ad Orientem, & Septentrionem pergere, & à Cimbris, hoc eſt, Danis, qui Cimbricam Cherſoneſam incolunt, vaſtatæ olim *C. Marii* temporibus Italiæ, pœnas repetere. Idque priùs *Druſus* pater tentauerat: ſed vt refert *Dion*, mulier quædam inſolitæ, & vltra humanam ſpeciem auguſtæ magnitudinis & formæ, tramittenti obſtitit; & nequid vltra tenderet (quippe rerum gerendarum cum vita finem ei jam inſtare) monuit. Rediit igitur *Druſus*, & in itinere, contracto cum hoſte inter Salam, veterem Francorum ſedem, & Rhenum fluuium certamine, & egregia parta (quod multis ſæpe ducibus contigit) de hoſtibus victoria, occubuit. Ad *Germanicum* verò hoc tempore reuocandũ Dæmone aliquo opus non erat; ipſe enim *Tiberius*, viri ſucceſſibus inuidens, & virtutem ſuſpectam habens, oculoſque non militum modo, verumetiam populi Romani, omniumq; mortalium in eum, veluti in nouũ aliquod fidus conjectos videns, & ſucceſſorem indubiè deſignatum timens,

mens, ſub ſpecie honoris Romani, vt dixi, reuocauit,& ad motus, longè ſcilicet in Oriente componendos, amandauit: vbi demum virum omni laude, omni amore & memoria dignum veneno tollendum curauit. Quo viuo quis homo eſſet *Tiberius* in occulto fuit, ſublato, ſtatim apparuit. Crediderim fatis ita datũ fuiſſe, ne Populus Romanus vltra Albim ad Septentriones imperium promouerent: huncque illis terminum ad Aquilonem, vt Euphratem ad Orientem poſitum fuiſſe. Sua nimirum ciuitatibus & imperiis ſunt fata,& fines à Deo conſtituti: quos vltra ſi tetenderint, cum clade ſemper & ignominia mortales redierunt.

Germanicus ſublatus.

Cap. 10. *Germanici* verò è Germania cum claſſe reditus, non perinde lætus erat, atque acceſſus fuerat. Redeuntem infanda tempeſtas inuaſit, diſjectamque toto Oceano claſſem ad noſtras has, Orcadaſque & Ebudas Inſulas allisit. Magna certè tantæ claſſis pars fluctibus hauſta periit. Quid? quod ipſa, qua *Germanicus* vtebatur, triremis vim maris ægrè, nec niſi lacera vndique, & auulſis armamentis, effugit. Qui vero ex longinquioribus quibuſque regionibus ſuperſtites demùm redierunt, ii omnia in majus augentes, miracula quiſque ſua certatim referebant. Hic vim turbinum, ille nouas volucrum & belluarum marinarum facies: nec deerant qui ambiguas hominum & ferarum formas in hac noſtra Britannia viſas enientirentur. Tantus certè *Germanicum*, ob cladem ſua, vt ipſe interpretebatur, temeritate & culpa acceptam, ſeu dolor, ſeu pudor ceperat, vt vix ſibi, quin vim

vitæ

vitæ ſuæ inferret, temperauerit. *Tiberius* ægrum animi datis literis conſolatur: id vnum agens vt eum inde primo quoque tempore abſtraheret. Cladis enim naufragio acceptæ famam, ipſe *Germanicus* terreſtribus prælijs & victoriis de Cheruſcis, Cattis, aliiſque interioris Germaniæ populis mira virtute & fœlicitate partis, captâ ſtatim terrâ, aboleuerat; nec dubitabat, quin breui admodum, ſi concederetur ſpatio, totam Germaniam Romanæ ditionis, & pacatam faceret. Militem etiam ſua quemque ex naufragio damna profiteri juſſit: & juxta profeſſionem reſarcivit. Quæ res inuidiam & metũ *Tiberio* impenſiùs auxit, & recentẽ inſuper cauſam, juuenẽ tanta indole prædituũ properantiùs domũ reuocandi, & demum perdendi præbuit.

Tiberio verò ſucceſſit *C. Cæſar Caligula*; dignior ille apo *Tiberio* per adoptionem nepos, quàm *Germanico* parente per naturam filius. Ludos quinquennales *Auguſtus* Accii, vt diximus, ad perpetuam victoriæ nauali ipſo loco partæ memoriã conſeruandum conſtituit. Hos inito ſtatim imperio *Caius* abrogauit: Rei ſcilicet tam funeſtæ ſenſu animos ciuium quotannis refricari, parum ciuile eſſe dictitans. Mox veluti majus quid & populo gratius ipſe facere pararet, ingens inter Baias & Puteolos maris brachium, trium millium & ſexcentorum paſſuum longum, ponte nauali, contractis ad hoc opus vndique è Sicilia & Italia nauibus, junxit. Quarum multitudo quum deſtinato operi non ſufficeret, reliquas à carinis properè ædificari juſsit. Duplex autem erat per tam ingens

Cap. 11.

Pugnæ Actiacæ monumentum à Caligula abolctum.

Pons naualis à Caligula factus.

gens ſpatium nauigiorum ordo; anchoris q. trinque jactis, ſuperinjectoque terræ aggere, ad viæ Appiæ ſimilitudinem directus; ſcilicet, vt ipſe cum exercitu, terreſtre per aquas iter, ſeu pede, ſeu equo, ſeu curru, faceret. Mane igitur quo expeditio hæc ſuſcipienda erat, thoracem, quem *Alexander ille Macedo* dum Perſiam ſubigeret geſtaſſe ferebatur, indutus, gladio ſe cinxit, clypeumque ſumpſit, & quernam coronam capiti aptauit. Tum ſacra *Neptuno*, diiſque aliis pro more fecit. Præ cæteris Inuidiam impenſiùs placandam eſſe cenſuit. Veritus ſcilicet, ne quis rem tam præclarè ſuſceptam tamque fortiter gerendam tranſuerſis oculis aſpiceret. Quibus rebus ſic conſtitutis, à Baiis iter ingreſſus, naualem aggerem equo phalerato conſcendit, equitum peditumque turmis ſtipatus, vix diei itinere Puteolos ſero veſperi peruenit. Ibi tanquam ex longa difficilique via & ipſe feſſus poſitis armis decubuit, & militem corpora curare juſſit: monitos prius, ut manè ſignum attentiùs expectarent; quo dato, ocyus omnes ad imperia accipienda concurrerunt. Ipſe mora poſita, primo diluculo currum conſcendit, & eadem, qua pridie equo venerat, nunc bigis inuectus via rediit. A dextra læuaq; diverſoria, ne tantus exercitus tantum iter ingreſſus rerum inopia dilaberetur, extructa; nocte vero tota, non ſolum ex ipſo aggere, & diuerſoriis adjunctis, verum etiam ex vicinis montibus, faces & funalia ſic illuxerunt, vt par diei lumen eſſet. Et prima quidem nox magna ſollicitudine, adhibitis vigiliis, vtpote ipſo

Indupe-

Induperatore in maximo diſcrimine conſtituto, exacta; ſecunda vero epulis & commeſſationibus, tanquam victoria jam parta, data eſt; neuè quid pompæ deeſſet, ſuggeſtum collocatur; quo conſcenſo orationem rei accommodatam habuit; militiæ comites & laborum periculorumque ſocios appellat; & multos quidem Imperatores naue vectos transfretaſſe, ſe vnum equo primum, deinde curru etiam, profundum mare percurriſſe dixit: *Darium* ſubinde & *Xerxem* Perſarum Reges, quorum ille Boſphorum, hic Helleſpontum ſuo quiſque ponte junxerat, tanquam impares & minora auſos cauillatus. Durarent modo, ſeque rebus ſecundioribus ſeruarent; ſe enim tantæ virtutis tantorumque laborum, & egregiè ſecum nauati operis memoriam nunquam animo poſiturum. Inde ad ludicra conuerſus multos è plebe qui ad ſpectaculum concurrerant, & cum illis nonnullos ampliſſimæ dignitatis viros, è ponte in mare cum cachinno proturbari juſsit. Ex his magna pars, tranquillo quamuis mari, joco proturbati ſeriò perierunt: cæteri vel vnda marina inter natandum grauidi, vel fractis nauigiorum colliſione membris, mutili deinceps, aut debilitati, & tota vita inutiles emerſerunt. Accedat eodē & altera hominis inſania, quam non meis, ſed *Tranquilli Suetonii* verbis inferam: *Fabricauit*, inquit, *& de cedris liburnicas gemmatis puppibus, verſicoloribus velis magna thermarum & porticuum, & tricliniorum laxitate: magna etiam vitium & fructiferarum arborum varietate; quibus diſcumbens de die inter choros & ſympho-*

nias

nias littora Campaniæ peragrabat. Isto scilicet modo *Demetrium*, *Ptolomæum*, *Hieronæ* reges, operum magnificentia & rerum in mare gestarum gloria superaturus. Neque vero ludus iste suo luctu caruit: Temulentus ipse in mare & fluctus non sine periculo sæpe ruebat. Quod idem si quis sobrius aut sanus facere neglexisset, vt desertorem & læsæ Cæsareæ majestatis reum ad mortem continuò adigebat. Multos hæc pestis absumpsit: inter alios, ipsum ejus socerum Sylanum: quanquam satis constabat, valetudinarium, & nauseam maris haud quaquam ferentem, abstinuisse. Veritus deinde ne soluto mox ponte nauali expeditionis fama vnà interiret, alium ex lapide quadrato ipso loco, quamuis alieniſſimo, nec vllo vnquam vsu futurum, exstruxit: cujus vestigia etiamnum, vt puto, manent. *Villamontius* certè *Gallus*, suarum peregrinationum libro primo, tredecim ejus arcus anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo integras à se visas refert.

Sinus Baianus ponte lapideo junctus.

Cap. 12. *Cæsar* triumphato jam Mari Mediterraneo, majora animo moliri cœpit; nihil actum ratus nisi suis tropæis & Oceanum adjungeret. Quoniam verò tam vastum tamque indomitum & ferum hostem aperta vi, & veluti per fœciales indicto bello, aggredi non audebat, ideo per insidias agere, & incautum opprimere consultius esse judicabat. Expeditionem igitur in Batauos, gentem, vt scimus, maritimam, & Oceano expositam edicit. Fit apparatus, quantus ad vniuersam siue Galliam, siue Germaniam subigendam satis esset. Ostia soluens Marsyliam in Gallia

Expeditio à Caligula contra Oceanum Brit. suscepta.

Gallia peruenit. In itinere bis pœnè ſubmerſus eſt: ſemel non procul Genoa; iterum ad Stoicadas, quæ vocantur, Inſulas. Inde terra iter ingreditur, nunc citato agmine, nunc lectica inuectus. Ducem verò ſic ſeuerum, & antiquæ diſciplinæ egit, vt Legatos in tempore non occurrentes è veſtigio miſſos cum ignominia faceret. Vbi ad Batauos ventum erat, primum impetum in Rhenum fluuium effudit; eum ponte junxit, ſicque tranſgreſſus cum exercitu ſtatim rediit; tanta, præ metu nulla cauſa contracto, feſtinatione, vt quum pontem turba fugientium obſtructum reperiſſet, per capita & humeros ſtantium tranſcurreret. Inde ad mare digreſſus tentoria in littore ſtatuit. Ipſe triremi paululum in Oceanum prouectus, quum nihil incommodi à fluctibus ſenſiſſet, eam victoriæ confeſsionem interpretatus, ad littus rediit. Antequàm oram ſolueret, militibus ſeueriſſimè edixerat, vt occaſionibus intenti ſtarent, ſignoque accepto mandata maturè exequerentur. Vbi terram reuerſus pede attigiſſet, milites quid tandem imperaret de more expectantes, per præconē, conchas & vmbiliços in littore magna copia jacentes pro ſe quemq; tollere, galeaſq; & ſinus complere juſſit. Has ille nugas, *Oceani ſpolia*, Ioui & Capitolio debita, appellabat. Itaque pro ſe quiſque conchas, alii collo, alii brachiis innectere; vt ſi quis nunc dierum exercitū per eandem Galliam ſic incedentem cerneret, peregrinos votiuos à monte *Sancti Michaelis* redeuntes ſe ſpectare crederet. Triremem verò qua vectus tantam

victoriã indeptus fuerat, terreſtri itinere Marſyliani vſque & inde Romã deuehi imperauit. Sed nec hic ſubſtitit hominis inſania. Nam & de Oceano Romæ triumphauit. Totus verò deinceps libidinibus & cædibus vacauit. Cædes autem partim ferro, partim veneno abſoluit. Refert denique *Suetonius* arcam quandam ingentem poſt mortem in ſecretis ejus inuentam diuerſorum venenorum plenam: eam *Claudius* ſucceſſor, ne quæ intus erant venena aerem inficerent, profundo mari demergi curauit. Tanta autem fuit venenorum illorum vis & copia, vt ipſa maria inde temerata fuiſſe conſtet: piſcesque enecti, in vicina littora paſſim ejecti conſpicerentur.

Cap. 13. *De lacus Fucini emiſſione.*

Caio ſucceſſit *Claudius*: egregius & ipſe in mari bellator. Lacus erat quidam in Italia, qui Fucinus dicebatur, ingens agri ſpatium complexus. Hic lacus, vicini populi multis vicibus ab Imperatoribus contenderant, vt emitteretur. Nec Romæ deerant qui ſuis impenſis id ſe facturos promitterent, ſi ſiccatus ager ſui juris fieret. *Claudius* verò rẽ ad ſe trahere maluit. Itaq; totis vndecim annis, triginta hominum millibus nocte dieq; operam nauantibus excifus per tria paſſuum millia mons eſt; & ingens foſſa, in Lirim amnem perducta. Sed antequã emitteretur, pugnam naualem in ipſo lacu inſtituit: de qua diuerſi diverſa tradiderunt. *Suetonius* vt rem haud magnam, ſed crudelitèr exercitam commemorat. Claſſes alteram Siculam, alteram Rhodiam vocatas, duodenarum trirenium ſingulas fuiſſe, ſcribit:

Pugnæ naualis ſimulachrum.

cumque

cumque concurrendum eſſet, & Gladiatores nautici, *Ave Imperator, Morituri te ſalutant*, exclamarent, reſpondiſſe Claudium, *Vos quoque Avete*: quam vocem quum ſic omnes acciperent, quaſi gratia eos dignatus eſſet, & proinde à pugna abſtinerent, diù cunctatum Imperatorem, an ferro, & igne omnes abſumeret, tandem proſiliiſſe, ac per ripam indecorè diſcurrentem ad pugnam compuliſſe refert. *Tacitus* aliter rem, & quum ciuilius tum magnificentiùs geſtam narrat: naumachiam enim hanc, *Auguſti* illa longè clariorem & genere nauium & pugnantium multitudine fuiſſe refert; leuia illic nauigia, hîc triremes omnes catapultis baliſtiſque ad pugnam inſtructas: milites ibi non multos, hic vndeuiginti millia fuiſſe, ſcribit: & quamuis omnes ſontes; & pœnæ ſerui eſſent, fortium tamen virorum ingenio vtrinque pugnatum; & poſt multa illata acceptaque vulnera, & egregia edita virtutis ſpecimina, clementia Imperatoris occidione exemptos fuiſſe tradit. Illud certò conſtat, pugnæ naualis ſimulachrum, ſi verâ à *Tacito* traduntur, à nullo vnquam Romanorum Duce, huic par exhibitum fuiſſe: in quo illud ſpectantium oculos mirificè affecit, quòd quendam veluti Deum marinum Tritona medio è lacu cum buccina ſurgentem, & pugnam cantu cientem intuerentur. Expeditionem deinde in hanc noſtram Britanniam à *Julii Cæſaris* temporibus omiſſam ſuſcepit, tranſmiſſoque à portu Iccio ſiue Geſſoriaco exercitu, paucis diebus, præliis aliquot fœliciter commiſſis inſulæ partem quæ defecerat recepit; *Expeditio in Britanniam.*

& in prouinciæ formam redegit, trecentos inde & amplius annos duraturam, Romamque reuersus triumphauit: triumpho verò adjecit Coronam naualem, quam in Palatinæ domus fastigio, vt edomiti à se Oceani Britannici tesseram, suspendit.

Cap. 14.

Quo in loco rem à tot scriptoribus tractatam intactam libens non prætermiserim. *Claudium* Imperatorem Romanum, quum Britanniam peteret, à portu Iccio siue Gessoriaco, soluisse diximus: Nempe portus is erat, vnde Romani semper Duces & exercitus trajicere solebant: sed quis tamen ille locus nunc sit, aut vbi positus, Calesiænè, an ad Audomaropolim, Boloniænè, an ad Vitsandiam, Scluſæ, Brugis, Gandauiæ, Duinkirkæ an denique Mardicci, inter doctos, non dubitari modo, verum etiam dimicari video. Quæ res eò mirabilior videri potest, quod *Pomponius Mela* Gessoriacum non solum in Morinis statuit, verum etiam ipsos Morinos nihil hoc portu notius in se habere tradat: & nunc tamen (quæ sunt antiquitatis tenebræ) non solum de Iccio & Gessoriaco, verumetiam de ipsis pœnè Morinis, qui homines fuerint, vbinam terrarum positi, saltem quibus finibus claudebantur, quæritur. Galli plerique, & inter illos Viginerus, qui *Julii Cæsaris* commentarios, non lingua solum Gallica donauit, verumetiam doctissimis suis annotationibus lucidiores Gallicè scientibus reddidit, portum Iccium, hoc est, Gessoriacum Calesiæ ponit. Id vero *Michael Hospitalius*, magnus olim Franciæ Cancellarius, primus

De Portu Iccio.

mus refutauit, eumq; ſequitur *Gulielmus Camdenus* noſtrâs. Rectè quidem vterq; de re ipſa, meo judicio, ſentientes, ſed parum firma ratione freti: Caleſiam ſcilicet vrbem tum fuiſſe negant: atqui non vrbem *Cæſar*, ſed portum quærebat: vtque Epheſus, nobiliſſima poſtea Aſiæ ciuitas, à *Lyſandri*, ita Caleſia, vilis anteà porticulus, à *Cæſaris* delectu incrementa cepiſſe potuit. *Camdenus* verò, vt Caleſiam refutat, ita medium, eam inter & Boloniam, locum, qui ab arenularum albedine, Anglorum (qui plurimùm toto illo tractu aliquot ſæculis potuerunt) idiomate, *Whitſandbay* dicitur, portum *Cæſari* præbuiſſe putat: tanto ille, vt opinor, veritati, quanto locus ipſe Boloniæ propior. Prodiit verò non ita pridem libellus à *Jacobo Chiffletio*, *Infantis Iſabellæ Claræ Eugeniæ*, dum vixit, Medico cubiculario, doctè quidem & eleganter ſcriptus; in quo nouum opus aggreditur, & portum Iccium non alibi quam ad Mardiccium Flandrorum collocat. Portum enim Iecium & Geſſoriacum eundem eſſe dicere, communi planè ſenſu carentis eſſe putat. Nominis affinitatem, viam à Caſleto Mardiccium ferentem, Pharum ibi ſtantem, & fumantem, pro cauſis affert. Quæ omnia veriſſima, vt quidem puto, ſed ſine cauſæ præjudicio eſſe poſſunt. Nam quod ipſum Iccium ad Flandros nunc transfert, miror ſi Galli de termino moto, vel finibus regundis, actionem ei non intendant, præſertim quum fatis ita datum eſſe contendat, vt vbicunque portus Iccius reperiatur, ibi maris imperium ſimul eſſe neceſſe ſit. Itaq;

vt liberum aliis quod velint sentiendi arbitrium relinquo, ita quid ipse hac de re sentiam, pari libertate, sed breuiter ostendam; quippè qui magis ciuile esse putem, suam quemque edere, quàm alienam carpere sententiam. Ego igitur eundem Iccium & Gesforiacum portum esse, & omni tempore fuisse, audacter affirmo: & vtrumque ad Boloniam Gallorum pari fiducia pono. Vt vt enim tres Romanis portus in aduersa Britannia erant, vbi terram capere solebant, *Lemanus*, quæ nunc *Hyda* est, *Dubris*, & *Rutupiæ*, quæ *Sendouicus* vulgò esse creditur, vnicus tamen toto Morinorum littore portus, in Britanniam è Gallia trajecturis, erat. Is à *Julio Cæsare* Iccius, à cæteris omnibus Gesforiacus dicebatur. Neque enim ego à *Ptolomæi* vestigium decesserim; sed quum ille Galliæ Belgicæ descriptionem adornaturus, post Sequanæ & Phrudis fluminum ostia, Orientem versùs, *Iccium* statuat *promontorium*; eique proximum in Morinis *Nauale Gesforiacum* subjungat, quidni ego eundem portum, & à promontorio Iccium *Cæsari*, & ab vrbe, Gesforiacum reliquis dictum fuisse putem? nec ego hac in causa nomina aucupanda esse censeo. Videatur *Antonini Itinerarium*; ibi à Gesforiacensi hoc portu viam, eamque militarem ad Bauacum Beauvoisinorũ metropolim per Terrouanam & Tornacum, Romam denique ducentem reperies; à Vitsandia, à Calesia, à Mardiccio nullam. Tabulas Putingerianas, ad *Antonini* fortè Itinerarium, descriptas inspice: ibi viam militarem eodem ordine delineatam

Portus Iccius.

neatam aſpicies: & hoc amplius, verba hæc ſignanter adjecta, *Geſſoriacum quod nunc Bononia.* Extat etiam Rhenani in eandem rem teſtimonium. *Sunt*, inquit, *de Geſſoriaco variæ conjecturæ, ſed tollit nobis omnem ambiguitatem charta militaris, quam apud Chunradum Putingerum noſtrum Auguſtæ vidimus*; Futile autem eſt, quod à quibuſdam affertur; aliud fortaſſe portum, aliud vero nauale Geſſoriacum fuiſſe. *Ptolomæum* de portu nihil, de nauale Geſſoriaco tantummodò mentionem facere. Quaſi verò nauale vllum extra portum reperire ſit: aut nauale Geſſoriacum, in portu ſiue Caletano, ſiue Mardicciano quærere, alterius quam hominis planè cæci eſſet. Valeat & illa, apud prudentem lectorem ratio: frequentiſſimus è Morinis trajiciendi locus qui fuerit, eum extra controuerſiam portum & Iccium, & Geſſoriacum cenſeri oportere: is autem non Caleſiæ, non Mardicci, non ad fanum Audomari, nec alibi toto Morinorum littore, quam Bononiæ erat. Author eſt non vno in loco *Ammianus Marcellinus*; primùm in vita *Conſtantii* & *Juliani*, vbi à Conſtantio Pariſiis tum agente Lupicinum ad Britanniæ res componendas miſſum, *quum Bononiam veniſſet*, inde in Britanniam tramiſiſſe refert. Iterum vero in vita *Valentiniani* & *Valentis*; vbi *Theodoſium à Bononiæ littore in aduerſam Britanniæ ripã trajeciſſe ſcribit.* Erat autem hic, vt diximus, non frequentiſſimus modo, verum etiam vnicus Romanis toto illo tractu ad tranſmittendum in Britanniam delectus locus. Portus vero ipſe, vt à *Julio Cæſare* propter

ter vicinum ejusdem nominis promontorium, Iccius dictus erat, ita Claudianis mox temporibus, suo & populari loci nomine Gesforiacus, & postremo Bononiensis siue Bolonienſis dici cœpit. Nam ad Morinos quod attinet, vnicus *C. Plinii* in quarto Naturalis Historiæ suæ libro locus, qui homines fuerint, & vbi positi, quouis indice certiùs ostendit; *Albion*, inquit, *à Gesſoriaco Morinorum gentis littore proximo trajectu quinquaginta paſſuum millia abeſt*. Italicos nimirum, hoc est, breuioris mensuræ passus intelligit. Nos enim Angli vltra triginta non agnoscimus; sed vt videmus totum à Bolonia ad portum Caletanum tractum, qui veluti frons Rutupino nostro littori objicitur, *Gesſoriacum Morinorum gentis littus* appellat. Statim enim ab hiis duabus veluti metis, hinc Picardia ad Occidentem, inde Flandria ad Orientem se ab Albionis nostræ aspectu retrahunt, & latiore Oceano ab ea dirimuntur.

Morini.

Cap. 15. *Claudius Cæsar*, è Britannia Romam reuersus, vrbem fame grauiter laborantem reperit. Cui morbo, quandoquidem in præsenti mederi non potuit, futuram vrbis annonam sollicitè curauit. *Augustus*, quum Ægyptum in prouinciæ formam redegisset, frumentandi summam in ea potissimùm regione statuit. Quamuis autem aliæ plurimæ annonariæ Classes vel publico vel priuato iumpu paratæ erant, prima tamen semper & præcipua deinceps *Classis Alexandrina* ratio habebatur, isque præ cæteris ei honos est habitus, vt quùm cæteras omnes, dum Puteolos totamque illam Italiæ oram

præter-

prætervehérentur, ſuppara' deducere haberent, ſoli Alexandrinæ Claſſi inter prætereundum ea intendere liceret, vt author eſt *Annæus Seneca*, in ſua quadam ad *Lucilium* epiſtola. Ideo autem anguſtior Romæ erat frumenti, aliarúmque rerum omnium copia, quòd æſtiuis tantum menſibus Tiberi merces inferri potuerunt. Neque enim vllus ibi portus erat, ad quem ſæuiente hieme appellerent; nec ſtatio, in qua tutò conſiſterent: ſed erat locus ipſe, vtpote ad Africam expoſitus, naufragiis obnoxius. Itaque ſunt qui ſcribant *C. Julium Cæſarem* de portu ad Tiberis oſtia extruendo cogitaſſe: ſed vel oborta tanti operis perficiundi deſperatione, vel præſentioribus negotiis perplexum & impeditum, omiſiſſe. *Claudius* verò rem & ſua & populi Romani majeſtate indignam eſſe prædicans, ſi maris imperium inutiliter teneret, ſolaque inedia periret vrbs, quæ mundi diuitias poſſideret, opus aggreditur; Portumque Oſtiæ, non effoſſo juxta Tiberim ſolo, ſed jactis immenſi operis in ipſo mari aggeribus, effecit. Quo in opere nauem quandam omnibus, vt ait *C. Plinius*, mirabiliorem, qua magnus obeliſcus ex Ægypto quondam à C. Principe allatus & Puteolis ad illum vſque diem pro miraculo aſſeruatus fuerat, adduci, eamq; pulvere Puteolano ad firmitatē oppleri juſſit. Hujus nimirùm pulueris ea erat, autore *Seneca*, natura, vt ab aquæ contactu in duriſſimū ſtatim lapidē concreſceret. Illud intereſt, quod *C. Plinius* nauem hanc integrum ferè totius portus latus feciſſe refert; *Suetonius* verò, eam

Pulueris Puteolani natura.

eam extra portus os submersam fuisse narrat. Addidit & Pharum, quò tutius nocturnis horis ad portum appelleretur: Omnia ad portus & Phari, qui ad Alexandriam erant, comparata.

Cap. 16. *Portus Romanus an idem fuerit cum Ostiensi.*

Non sum nescius communiter existimari, hunc quem *Claudius* extruxit portum, eundem esse qui in Tuscia ad dextram Tiberis ripam positus, *Portus Romanus* postea appellari cœpit, & etiamnum *Portus* appellatur. Ego verò Portum à *Claudio* non in Hetruria, sed in Latio extructum fuisse censeo; Rationem affero, quòd *Tranquillus* Portum à *Claudio* non ad *Ostia* (quæ vox Latinè edita vtrumuis Tiberis os indifferenter significat) sed *Ostiæ* (quæ vrbem certam signanter denotat) extructam fuisse diserte scribit; & *C. Plinius* Portum hunc ad Ostiam ab eo ædificatum fuisse libro tricesimo sexto Historiæ naturalis docet. Erat autem Ostia colonia Romanorum omnium antiquissima, ab *Anco Martio* Rege ducta, eaque non inter Hetruriæ, sed inter Latii (quod nemo nescit) vrbes semper habita; frustrà vt fuerit rem tam notam vel rationibus vel autoritatibus defendere. Hanc verò Ostiam vrbis Romæ nauale seu portum antiquitùs fuisse, docet *Strabo*; inclytaque ciuitas & magno Romanæ vrbi, quum reliquo vtui, tum præsidio fuit, multisque & magnis eo nomine immunitatibus donata; donec temporibus Marianis à quatuor simul exercitibus obsessa, captaque demùm & diruta, nec vnquam postea pristino splendori restituta fuit. Tunc Portus, tunc naualis tuendi Ostiensibus, vt adempta facultas omnis, ita abjecta

planè

planè cura eſt; itaque breui tempore arenis, quas vel æſtus maris expulerat, vel Tibris decurrens aduexerat, oppleri portus, nauibuſque inacceſſus, & vrbi inutilis eſſe cœpit. Sicque permanſit, donec *Claudius* Imperator fame, qua & vrbs & orbis ipſe ex fatali quadã terræ ſterilitate illo tempore laborabat, admonitus, portum eodem loco, magno, vt diximus, molimine adornauit. Nam ad Portus in Hetruſco littore inſtituti nomen quod attinet, fallor, ſi ante *Adrianı* demùm tempora aliquis eo loci, vbi *Porto* nunc viſitur, vel viculus, vel ædicula, vel ad portum ſtruendum lapis cernebatur. *Strabo* certè & *Mela* in ſuis Geographicis non meminerunt; ac ne *Ptolomæus* quidem: quamuis quũ Tiberis Oſtia nominaſset, *Flexum ejus fluminis* ad occaſum ſubinde memoret. Hic enim *Flexus* eſt alterum illud Tibridis fluentum, ad cujus exitum Portus Romanus à quocunque extructus nunc collocatur. Cum igitur & Oſtiam ciuitatem non in Hetruſca, ſed in Latiali Tiberis ripa poſitam fuiſſe nemo dubitet, & Portum à *Claudio* non ad *Oſtia*, ſed ad *Oſtiam* Ciuitatẽ extructã fuiſſe peræquè conſtet, equidem quæ ſuperſit hac in re dubitandi ratio non intelligo. Ecquis enim, tam vel rerum, vel verborum immemor repertus, qui aut Oſtiam, Portus, aut Portum Oſtiæ, aut viam, portum, Epiſcopum Oſtienſem, Portuenſis, aut Portuenſem Oſtienſis titulo nuncupauerit? *Leo* Pontifex, ejus nominis quartus, ſub annum Domini Octingenteſimum quinquageſimũ *Oſtiam* contra Saracenos muniuiſſe dicitur; quiſ-

quisquamnè igitur hoc de Portu intelligendum putet? Neque verò eadem est Portuum *Ostiensis* & *Romani* apud autores descriptio. *Claudianus* ille ad Ostiam Portus, nullo effosso in continente solo, sed aggeribus in ipso mari jactis & circumductis brachiis, (*Plinio* & *Suetonio* autoribus) constabat; Portuensis verò siue Romanus in littore Hetrusco conditus, effossa in ipsa continente ingentis spatii humo, fundatus, & crepidine lapidea intus vndique substructus fuit; aggeres verò exteriùs in mari jacti, non ad Portum, sed partim ad stationem nauibus præstandam, partim ad Portum ipsum à vi fluctuum tuendum additi fuerunt, vt de re ipsa testatur *Dion*. Quem ictũ *Phil. Cluuerius* (qui plurimus inhoc est) ita vitari posse censuit, si *Trajanũ* Imp. interiorẽ scilicet portum exteriori postea addidisse dicat. At, inquam, *Dion*, qui omnium primus hac in re, & errauit ipse, & aliis errandi causam dedit, geminum Portum, hoc est, & interiorem in continente effossum, & exteriorem in ipso mari positum ab eodem *Claudio* simul extructũ fuisse narrat; Qua de re ipsum si placet, Latinè quamuis, suo tamen sensu loquentem audiamus. *Induxit*, inquit, *Claudius in animum rem dignam, gloria atque magnificentia Romani populi facere. Primùm, quòd loco non exiguo effosso in continente, jactisque circum vndique fundamentis eò mare intromisit: deinde in ipso mari jactis vtrinque magnis aggeribus, ac multo mari concluso, in ea insulam fecit, atque in ea turrim ædificauit, ex qua lumen nocturno tempore nauigantibus præberetur;*

beretur; *Is locus patria lingua, vt eſt, Portus appellatur.* Itaque ſi verus *Dion*, ſi *Claudius* geminũ illũ in littore Hetruſco Portum, qui Romanus dicitur, fabricauit. Quis locus *Trajano?* Aperta igitur, repugnante licet *Cluverio*, res eſt, aliam portus *Claudiani* ad Oſtiam in Latio, aliam *Romani* in Tuſcia, à quocunque vel quandocunque extructi, fuiſſe modum. Nam ad *Trajanum* quod attinet, portum quidem & ille ſui, vt videtur, nominis, ſed longè inde ad Occidentem, & in agri nunc Florentini termino poſitum ſtruxiſſe potuit. Ibi certè *Trajanum Portum* à *Ptolemæo* locatum video. Alium verò *Trajanum*, præter ipſum Imperatorem, quem portus hujus autorem faciam, equidem non inuenio. Confer & alia. *Dion*, inſulam in exteriori portus *Romani* ſpatio jactam, eique turrim impoſitã, & in ſumma turre Pharũ ſignat. Quæ omnia de Portu in Hetruria ſtructo veriſſimè affirmantur. At *C. Plinius*, vnicã illã quam dixi nauem, qua ingens obeliſcus ex Ægypto afferebatur, integrum ferè portus totius ad Oſtiã poſiti latus, feciſſe, nec in inſula, (quæ nulla ibi erat) ſed in ipſa naue, puluere Puteolano oppleta turrim, quæ Pharũ ferebat, fundatam fuiſſe narrat. Quæ diuerſa adeò inter ſe ſunt, vt in ejuſdem rei deſcriptione cohærere nequeant: niſi fortè quis *Dioni* potiùs quam *C. Plinio*, hoc eſt, homini, qui aliquot poſt *Claudiũ* defunctũ annos viuere cœpit, ei qui (præter reliquã dignitatem) ſe *Claudio*, dum portus ipſe ad Oſtiam ſtrueretur ex cauſã affuiſſe, libro nono Hiſtoriæ ſuæ naturalis refert, hac in re credendum

credendum esse putet? Quæres igitur fortasse, quis, me Judice, *Portus Romani* in Hetrusco littore extructi, author fuit? Equidem nescio: nec rem tanta vetustatis mole obrutam eruere, & in lucem proferre valeo. *Ptolomæum* modo, qui temporibus *Trajani* & *Adriani* vixit, nullam portus Romani mentionem facere, sat scio. *Philippum* etiam *Melanchthonem*, & *Petrum Bizium*, qui ambo *Ptolomæi* scripta, ille, vt ita loquar, carbone, hic penecillo in Tabulas retulerunt, locum vbi portus fuisse dicitur, vacuum reliquisse video. Ac ne *Plinius* quidem in sua historia, vllum inter Alsium in Hetruria, (quæ nunc *Sancta Severina* dicitur) & Tiberim locum præter Fregenas ponit. De Portu enim ne grũ quidem. Enimuerò ante *Antonini Pii*, qui *Adriano* successit tempora, nullam vsquam *Portus* mentionem inueni. Is in suo demùm Itinerario, sic habet. *A Roma per Portum Centum cellas, mille passus sexaginta nouem*: sic: *In Portum mille passus octodecim. Fregenæ mille passus nouem*: persequitur deinde *Alsium*, *Ad Turres*, *Pyrgos*, &c. sed & illud ex eodem Itinerario elicitur, vtrumque, tam Ostiensem quam Romanum Portum, eodem tempore floruisse; vt enim Itinerarium suum terrestre Imperator à Roma Centumcellas per Portum, sic maritimum à Portu *Augusti*, hoc est, Ostiensi Arelatũ vsque instituit: hoc modo: *Portuum vel positionum nauium ab vrbe Arelatum vsque*. Sic: *A Portu Augusti Pyrgos positio, mille passus* 38. à Pyrgis, &c. E quibus vtrisque facile colligitur, non solum *Portum*, & *Portum Augusti*

guſti, (quod nonnulli negant) fuiſſe diuerſos, & vtrumq; eodem, vt dixi, tempore floruiſſe, verum etiam vſu nauali hunc illi, ea ætate, præcelluiſſe: ni eſſet, nunquam ille iter nauale ab hoc potius quã ab illo inſtituiſſet. Tempore tamen Portus Romanus frequentiore hominum ore celebrari cœpit, Hoſtienſis verò cum vſu nomen ipſum portus perdidit. Vnde dictum illud *Vlpiani I. C.* emanauit, *Portus nomine, vbi nihil additur, intelligi Romanum, vt Poeta Virgilium.* Verum res iſta Italis curæ fuerit, nam ad ipſos Portus quod attinet, obruti illi arenis & aquis longo jam ſæculo vtrique jacnerunt. Sed tamen ea agri Romani, ea ſoli Italici fortuna fuit, vt nulla gens tam remota, nulla poſteritas tam ſera eſt, erituę, quæ regionis illius, tot rebus olim geſtis nobilitatæ notitiam, & curam ad ſe non pertinere putet. *Dionem* modo hominem quamuis Conſularem, tamen Aſiaticum, ejuſq; ſeu correptorem, ſeu corruptorem *Xiphilinum*, Portum in aduerſo littore poſteriùs à quocunque conditum, facili propter vicinam errore, *Claudio* aſcribere potuiſſe puto. Nedum eam rem vel *Blondo*, vel *Volaterrano*, vel *Pancirolle*, vel *Cluverio* ſummis in omni genere doctrinæ viris, vel aliis quibuſcunq; *Dionis* & *Xiphilini* autoritatem ſequutis vitio vertendum eſſe cenſeo.

Verum vt è diuerticulo in viam redeam, tanta fuit *Claudii* in annona vrbis alleuanda, hoc eſt, in ipſa, ſi verum volumus, vrbe conſeruanda diligentia, vt negotiatoribus, annonam vndecunque inferentibus, certa & ſtata lucra proponeret, Cap. 17.

neret, nec eo contentus, pericula insuper maria omnia hiberno sidere contracta in se suscepit, & suscepta cum fide præstitit: multaque in hoc genere Imperator iste, stupidus alioquin habitus, omni laude digna, & vel prudentissimis principibus in exemplum trahenda fecit; quibus rebus effectum est, vt frumentum Romam hibernis juxta ac æstivis tempestatibus deinceps comportaretur, quum prius hiemali sidere

Mare clausum. clausum semper haberetur mare. Verba sunt *Vegetii, Ex die*, inquit, *vndecimo Nouembris, vsque in decimum Martii mare clauditur*. Rarò enim hoc sidere, priuatus quisquam mari se olim credere solebat: nedum exercitus temerè transportandi erant, aut aliud quidvis publico nomine in mare tentandum. Extatque in eam rem *Valentiniani* posteriori quamuis sæculo edita constitutio; qua diserè cautum sit, ne prouinciales, quæstoribus, aliisue Romani Imperii Magistratibus hieme nauigare volentibus naues præbere cogerentur; ad quod munus alioqui ex formula tenebantur. Decimus

Mare apertum. verò dies Martii, qui in ante diem æquinoctii vernalis cadit, *nauigationis Natalis* priscis dicebatur. Nempè ab illo die mare apertum & tranquillum esse cœpit: Festaque lux illa Consso, *Neptuni* scilicet, & *Isidis* filio, ferebatur, &

Consualia. ludicra eo titulo exhibita, *Consualia* dicebantur: publica quidem lætitia, ab omni hominum genere, sed majorem in modum, à nautis celebranda.

Cap. 18. Debellata Ægypto & in prouinciæ formam redacta, mare rubrum *Augustus*, vt superiùs diximus,

diximus vectigale fecerat. Quorum vectigalium hiis demum temporibus redemptor *Annius Plocamus* Eques Romanus erat. E cujus libertis vnus dum maris Arabici portus ex officii ratione inuiſit, vento abreptus, longè ad Orientem, & ad Taprobanem inſulam mediis tempeſtatibus delatus eſt. Vbi à Rege, vtpote peregrini habitus oriſque homo, hoſpitaliter acceptus, & ſex menſium ſpatio commoratus, multa diligenter præſens vel oculis notauit, vel ſciſcitando perquiſiuit, quæ prius occidentali huic mundo, vel prorſus inaudita fuerant, vel fabulis paria, aut certè proxima habebantur. Quin & ipſum loci Regem, ea de Romano *Cæſare* opinione homo ingenioſus imbuerat, vt is non ſolũ abeunti commeatũ magnificè præberet, verum etiam cum eo quatuor Legatos ad *Claudium* vel ſalutandi, vel, ſi videretur, amicitiæ jungendæ cauſa mitteret. Hic caſus totius orientis notitiam & commercium Romanis aperuit; viaque ab Alexandria ad Indos, *Adriani* mox temporibus, tam certa tamque trita patuit; vt Itinerarium ejus, terreſtre in *Gaii Plinii* Hiſtoriæ libro ſexto inſertum reperiatur, multaque quæ prius ex *Nearchi*, & *Oneſicrati*, quos *Alexandro* magno militâſſe diximus, libellis, pro veris ferebantur, aliter ſe habere comperta ſunt: Abeſt autem hæc inſula à continente quinque dierum navigatione ad Auſtrum, vndoſiſſimo mari, ſed alueis, vt profundiſſimis ita anguſtiſſimis permeabili. Itaq; naues ſuas ſine puppe, ſed cum altera pro puppe prora fabricati ſunt, vt ſine flexu, ſeu velorum,

Taprobane inſula reperta.

seu remorum ministerio, non minus retrò quam porrò nauigari posset. Quo eodem ingenio *Germanicus* ad Batauorum superanda vada vsum fuisse diximus. Quippe eadem ratio, vbi res eædem sunt, immutabilis est; motusque animorum eosdem excitat, & paria consilia paribus ingeniis subministrat. Hoc igitur primo tempore diuites illæ Orientis opes, gemmæ, lapides, aromata, & odores, argento, vt hodieq; fit, permutari cœpta sunt. Adeo quidem vt singulis annis argentea numismata ad duodecies centena coronatorũ millia cum graui imperii damno mercaturæ faciendæ causa transmitterentur. Parum hoc: *Minima*, inquit *C. Plinius*, *æstimatione millies centena millia sesterti[um] omnibus annis ad odores fœneribus conquirendos exportantur*: neque mirum, si par furor temporum illorum mercatores inuaserat, qui nostros nunc tenet; quum centuplum ex omni argenti siliqua inde redactum reportarent.

Cap. 19. *Claudio* vero successit *Nero*, quo imperante nulla in mari memorantur prœlia: rarò enim vlla tam diuturna tamque certa terra marique pax stetit: præterquam ad Euphratem; vbi *Domitius Corbulo* Dux rem Romanam ingenti cum gloria & incredibili successu aduersus Persas promouebat. Hujus vero *Neronis* Imperii anno secundo incidit memorabilis illa in mari, Apostolo *Paulo* nauigante, tempestas, de qua in Actis Apostolorum fit mentio. Locũ si quæris, Adria fuit; vbi sexaginta Romanorum cum Consule & classe millia primo bello Punico, vnico naufragio periisse diximus. Tanta autem

autem maris ira fuit, tantaque jactatio, vt nemini ex illo nauigio per totos quatuor & decem dies, totidemque noctes ad jejunium soluendum quies daretur. Itaque in tanto periculo constituti, nihil ad summam curam, artem, industriam, reliqui faciebant, quo vitam quisque & priuatim suam, & communiter omnium conseruarent. Inter alia, quum nauem ipsam vi fluctuum à carina fatiscentem animaduertissent, nec vlla in anchoris supereresset spes, ad *Hypozomata* confugiebant. Mos erat antiquis inter reliqua nauis armamenta, Hypozomata semper in parato habere. Ea autem funes erant, tantæ longitudinis, vt ipsum nauis corpus multipliciter ambire & circumligare possent. Hujus armamenti mentionem facit *Athenæus* in lib. 5. Deipnosophiston, vbi nauis Ptolomaicæ instrumenta referens, eam duodecim Hypozomata, sexcentorum cubitorum singula, habuisse memorat. ὑποζώματα, inquit, ἑκκαίδεκα δίκτυα· ἑξακοσίων δ' ἕκαστον πηχῶν. Quem locum vertendo interpres, *Nauis*, inquit, *costa & tabulata duodecim erant, sexcentorum cubitorũ singula.* Quo nihil alienius cogita ei potuit? primùm enim, quid miri erat, tantæ molis nauẽ duodecim costas, seu statumina habuisse? quinimò verisimilius erat costas sexcentas, ad tantæ compagis molẽ vix sufficere potuisse? Sed fuerint costæ: quis tantæ costarũ longitudinis in naue, non dico vsus, sed locus esse potuit? subrectæ enim sunt, vt scimus, costæ, & in altum surgentes, non in longitudi-

Hypozomata, quid?

nem proteniſæ. Atqui nauis ipſa à ſummo a-
pluſtre ad aquam quinquaginta haud amplius,
Athenæus lib. 5. & triuia cubitorum fuiſſe ab *Athenæo* dicitur.
Demus autem tantundem fabricæ ſub aquis la-
tuiſſe: centum & ſex cubitos efficiunt. Quid
igitur de quingentis, qui ſuperſunt, cubitis fiet?
tantundem opinor, ac ſi quis hoc in tauri aut
elephanti coſtis contingere poſſe diceret;
Quod verò ſequitur, quam rationem habet?
quem ſenſum? *Coſtæ*, inquit, *& tabulata duo-
decim erant.* Quid? an ea coſtarum & tabula-
torum in naue, vel ſimilitudo, vel affinitas erat,
vt vnico vocabulo vtrumque ſic indiſcrimina-
tim ſignificari debuerit? Atqui par in hoc er-
ror verſatur, atque in priore cernebatur. Ta-
bulata enim ſpatia inter contecta nauis ſunt;
quæ vt maxima ſplendidiſſimaque in illa naue
fuerint, ſexcentorum certè cubitorum longa eſſe
non potuerunt, quum ipſa nauis ducentis octo-
ginta cubitis, eodem *Athenæo* referente, longior
non eſſet. Aperta igitur res eſt, interpretem
doctum alioquin, & infinitis pœnè difficultati-
bus in ſpinoſiſſimi libri verſione colluctatum,
ſed in hiis rebus non verſatiſſimum conjectura
captaſſe, quod ratione & ſenſu aſsequi non va-
lebat. Hypozomata enim non ligna, ſed funes
erant: nautici quidem illi, non tamen anchora-
rii, nec quibus à terra religantur naues, quos
retinacula alii, alii *oras* vocabant, ſed quibus,
vt modo dixi, vrgente tempeſtate, naues ipſæ
in medio ſæpe mari ſubligabantur. Ad quem
morem reſpexit ingenioſiſſimus ille inter Lati-
nos

nos Lyricus; *Vides*, inquit, *vt malus celeri saucius Africo, Antennæq; gemant, ac sine funibus vix durare carina possit imperiosius æquor?* Luxatur enim sæpe fluctibus carina, nique funibus substringatur, dissilit, juncturæque laterum & costarum ab imo diffractæ rimas agunt, & aquam penitus accipiunt: Ad quod incommodum, quin potius exitium euitandum, vnicum sæpe remedium ab Hypozomatis petebatur. Itaque & *Appianus Alexandrinus* libro quinto de bellis ciuilibus, *Sext. Pompeio* Magni filio vitio dat, quòd quum Octauianos prœlio nauali in fugam conjecisset, eos vltra non fuisset insequutus; sed passus sit eos nauigia περιζωννύειν, hoc est, *circumcingere* sicut poterant, & *secundo vento Vrbonem perferri*. Hinc igitur diuinus ille Actorum Apostolicorum Scriptor nauem, in qua sacratum Apostoli corpus ferebatur, à nautis substrictam, seu subligatam fuisse memorat. ὑποζωννύντες, inquit, τὸ πλοῖον, hoc est, *Nauem substringentes*, ventis se permiserunt. Nec mirandũ profectò est, si tam vtili tamq; necessario nauis instrumento nullum à Latinis nomen impositũ reperiatur. Rectè enim illud à *Lillio Giraldo*, in elegantissimo suo de nauigiis libello traditur, nauium partes & instrumenta diligentiùs à Græcis tradita fuisse quàm à Latinis: quanquã nec ipse quicquam de hoc armamenti genere alterutro sermone attigit. *Mitra* modò meminit; quo funis genere nauem mediam vinciri ait; sed, vt videtur, rem obscuram non attingere, quam non explicare maluit. Multo ille prudentiùs, quam Lexicographi, qui ne quid

ignorare videantur, ὑποζώματα tabulata ferè vertunt: quod quàm appoſitè, ex *Platone* in decimo de Repub. libro conſtat, vbi Eri Pamphili fabulam moralem referens, *Lumen quoddam Iridi ſimile cœlum veluti vinculum, & vt hypozomata triremem, ambire narrat.* Verùm vt ad rem redeam, illud certè conſtat inter paucas memorabilem hanc qua periclitabatur Apoſtolus, & è qua, ſine ſummi Numinis interuentu eripi nauigantes non potuerint, fuiſſe in mari tempeſtatem.

Cap. 20. Sed vt hæc ſub imperii Neroniani initio contigit, ita ſub ejuſdem exitu par atrocitate maris ventorumque exarſit rabies, qua magna Romanorum claſſis depreſſa periit. Quippe à Formiis in Campaniam à *Nerone*, non exceptis maris caſibus, ad diem venire juſſi, dum Domini juſſa magis quam maris ſæuitiam exhorreſcunt *naufragi*, vt eſt in prouerbio, *portu egreſſi*, in itinere, littori alliſi, omnes perierunt. Quæ quidem clades tanta fuiſſe à *Tacito* perhibetur, vt prodigii loco populo Romano fuerit: Medio vero Imperii tempore portum Antii, viginti millibus paſſuum ab Oſtia diſſiti, *ſumptuoſiſſimi*, vt ait *Suetonius*, *operis* extruxit. Expeditionē deinde ex Italia in Achaiam ſuſcepit *Nero*. Cauſa itineris, ingens cum ſcenicis & fidicinibus æmulatio & certamē erat; & præconcepta in tam duro bello victoriæ laus; nec votis ſucceſſus defuit. Itaque detriumphatis Achaiæ totiuſque adeo Græciæ cantoribus, citharœdis & choraulis, in Italiam gloria ſatiatus rediit. Ante tamen quam reuerteretur, Iſthmum

Ναυαγοὶ κατὰ λιμένων ἀπῆλθον.

Achaicum

Achaicum perfodere eſt aggreſſus. Nihil illo terræ jugo in hiſtoria notius: in cujus medio ſita olim erat nobiliſſima illa Corinthiorum vrbs, mare vtrinque ſubjectum habens, & ad vtrumque mare ſuum portum, alterum ad Orientem, qui Cenchræ, alterum ad Occidentem, qui Lechæum antiquis dicebatur. Hunc igitur hominem ingens inceſſit Achaiam à reliqua Græcia, immiſſo gemino mari, abrumpendi libido: ad quod opus exercitum quidem omnem, ſed impenſiùs Prætorianos pro concione hortandos eſſe cenſuit. Quos quum oratione ſua ad opus accenſos animaduerriſſet, ſequimini me nunc, inquit, commilitones mei: & cum dicto raſtellum è manu aſtantis rapuit; humumque effoſſam, & in corbulam congeſtam ipſe ſuis humeris extulit; quo tam præclaro Imperatoris exemplo excitati milites, ocyus omnes operi incubuerũt. Sed inter opus, venæ ſanguinis paſſim ex humo ſcaturientes, gemituſque ſub pedibus, & ex terræ cauernis horrendi veluti mugitus, exaudiri cœpti, fodientium animos religione & metu impleuerunt. Itaque ipſe *Nero* accurrit, vtriumque animi foſſoribus exprobrans, & increpitans, ligonem arripit, operique manum rurſus admouet: nec tamen euicit; rerum nouarum rumoribus in veſtigio reuocatus, vt refert *Dion*. *Iſthmi Achaici perfoſſio tentata.*

Nec minoris inſaniæ opus in Italiam reuerſus tentauit: ſcilicet ab Auerno tota Campaniæ Vmbriæque longitudine per ſaxeta & rupes in Tiberim foſſam, naulgabilẽ quidem, ſed nullo vſũ, ſi perficeretur, futuram perducere molitus. Cap. 21.

Auernus. Erat Auernus, lacus in extremo Campaniæ limine ſulphureus, & collibus vndique prærupti conclusus, niſi quà per Lucrinum ſinum in mare effunditur. Totus nimirum ille Italiæ tractus igne ſubterraneo abundabat, & etiamnum abundat: priſcis vero temporibus ſilueſtris inſuper, & vel ipſius Solis radiis inacceſſus erat. Craſsæ etiam nebulæ è ſulphureis terræ venis, lacubuſque aeri offuſæ viſum vndique auferebant. Hæc nimirum erat illa apud Homerum vndecimo Odyſſeidis ſuæ libro, *Cimmeriorum patria*, quam Solem nunquam vel ſurgentem, vel cadentem radiis ſuis illuſtrâſſe memorat. Quam rem à Poeta penitus confictam fuiſſe exiſtimarem, niſi is, quem modo dixi, *Villamontius* ei fidem aſtrueret. Refert nimirum lacum Auerni tam celſis ad Orientem & Occidentem collibus obſeptum eſſe, nullus vt eo matutinis veſpertiniſue horis radiis ſolaribus aditus pateat. Solo verò meridie, quum Sol in medio Cœli poſitus Septentriones aſpicit, per oſtiolum, quà lacus in mare Auſtrum versùs effunditur, Solem irruentem recipit.

Cimmeriorum patria.

Regio Phlegræa. Tota verò regio Phlegræa ab incendio nominata erat: & alius juxta fluuiolus pares cum Auerno halitus eructans, Phlegeton dictus. Calida verò Baiarum balnea quis fando non audiuit? antrumque Sybillæ ad Cumas juxta poſitas etiam nunc oſtenditur. Mons etiam *Veſuuius* non longè inde poſitus, ſi jam non ardet, attamen veteris veſtigia flammæ ſeruat. Nec quiſ ex noſtris Italiæ vrbes & loca peragrant, quum redierint, quicquam libentius quam locorum

Phlegeton.

corum illorum antra, & ignea ſpiracula ex antris erumpentia, & experimenti cauſa caniculos injectos, & ſemineces ſtatim extractos referunt: Erat autem temporibus Trojanis hoc in loco oraculum inſuper Phœbo diabolo ſacrum. Hoc ab *Ulyſſe*, ſi fides *Homero*, adibatur, & ex oraculo via inde ad inferos per vatem oſtenſa: quã fabellã, *Maro* poſtea, vt alia plæráq; ad *Æneam* tranſtulit. Refert etiam *Strabo* fani hujus Sacerdotes, lucri ſui cauſa hanc de inferis ei loco ſubjectis opinionem ſtudiosè in hominum animis aluiſſe. Ab hoc igitur lacu *Nero* foſſam navibus ferendis aptam in Tiberim perducere inſtituit. Sed, natura repugnante, rem fruſtrà cœptam ſubitò abrupit: non quod ille naturæ morem vlla vnquam in re gerendum cenſuit; (quippè qui omnia ejus jura confundere & in aduerſum ſemper niti conſueuerat) ſed quòd ea res eſſet quæ nulla ope humana perfici potuerit. Erat autem totus ille Campaniæ tractus vbi veteres Auernum & inferos collocabant, hiisdemum temporibus, de quibus nunc agitur, non cultura modo agrorum, verum etiam villarum, caſtrorum, vrbium, naualium, balneorum & aliorum ædificiorum, non ad voluptatem, ſed ad luxum comparatorum ſtructuris, ſupra reliquã omnem Italiam, exornatus. Portum *Pompeius*, ex fœtidiſſimo Auerni lacu pulcherrimum effecerat. Baulos *C. Cæſar*, in vicino colle, vnde deſpectus, hinc in Miſenum, inde in ſinum Baianum patuit, ædificauerat. *Auguſtus* nauale ad Miſenũ juxta poſitũ toto orbe celeberrimum extruxerat: *Agrippa* regionem

nem omnem syluis purgauerat. Quarum in locum laureta manu consita sic vbique surgebant, nihil vt illi regioni toto orbe simile, nihil secundum conspiceretur. Hinc Imperatoribus Romanis, in illa semper loca, animi causa, secedendi mos. Hoc *Augustus*, *Tiberius*, *Caius*, *Claudius*, hoc ipse *Nero* facitabat, & inter vireta, & fontes, calida hos, illos frigida manantes, voluptates concessas, veritas, omnes exercebant; dubium vt esset terranè an mari lasciuirent magis.

Cap. 22. *Nero* verò eodem facinore vtrumque simul elementum polluit, & regionem hanc verè infernalem, infando parricidio vtrobiq; admisso, fuisse ostendit. Mater ei *Agrippina* erat, quam quùm ille semel tollere statuisset, Baias venit: *Agrippina* tum Baulis agebat; quumque ministrum cædis quæreret, incidit in Anicetum, classis Misenensis Præfectum. Hic, seu ferro, seu veneno Imperatoris mater tolleretur, cædē ipsam nec commodè celari posse, & proditā non ferendæ infamiæ futuram præfatus, & ab ipso loci aspectu quid posset admonitus, rē & aliter, & facilius, & occultiùs transigi, & mulierem in subjecto mari, sine omni suspitione submergi posse monet. Modum exigenti *Neroni*, inst Anicetus, posse se nauem solutilem excogitare, ea arte constructam, vt inter remigandum nullo negotio, subitò à carina resolui possit. Placuit ingenium. Quinquatria celebrantur: *Nero* matrem festo adhibet; mater à Baulis ad mare descendit: ibi nauigio recepta Baias ad cœnam venit, inde eadem nocte ad Penates suos

Agrippinæ cædes.

cubitum

cubitum reuersura. Venientem filius gratulabundus & officiosè admodum suscepit, non alia re iratior, quàm quod tam vili nauigio mater Imperatoris adueheretur; Itaque illa sepositа, adducitur triremis ab Aniceto comparata, multo auro, & tapetibus instructa: Post cœnam, sera nocte ad mare à filio mater deducitur; nec longè à littore progressa, quibus cædis ministerium mandatum erat, nauem luxare & resoluere parabant. Sed ea res ad votum integrè non successit; tabulatum modo in triclinium vbi *Agrippina* cum comitibus recumbebat, decidit: & famulam oppressit. Ancilla dolũ non sentiens, *an matrem Imperatoris occiderent* nuliebritèr interrogabat? illi *Agrippinam* ex voce rati, ancillam in tenebris pro Domina confodiunt; & inter agendum, ipsi *Agrippinæ* inscii humerum vulnerabant. Quæ præsenti ingenio vsa, & se alienæ mortis beneficio, si non sospitem, attamen superstitem esse sentiens, nullo ejulatu, ac ne gemitu quidem propter acceptum vulnus edito, inter nautarum remigumque turbas è triclinio in foros ascendit: inde in mare desilit, & in terram vicinam enatauit. Vbi terram attigisset, nuntios ad filium mittit; fortuitum casum simulat: se deorum beneficio, periculo ereptam: ne ea res Aniceto sociisue naualibus aut remigibus fraudi esset, petit. Sed non is erat *Nero*, qui in re tam impiè seria, ludibriis falli possit. Itaque eundem Anicetum primo mane Baulos cum ministris misit. Illa venientes, ecquid salutandi, an occidendi causa venissent, rogat? Vbi tela ad jugulum intenta vidit, nihil

nihil morata ventrem præbuit; quin tu, inquit, Anicete, hunc vterum, qui *Neronem* tulit, primum ferì: Ita multis vulneribus, confecta, & pene conciſa, mater nequam filii nequioris juſſu, partim in mari, ſed penitùs in terra, *Agrippina* periit.

Cap. 23. *Neroni* ſucceſſit *Galba*; Dux ille haud quaquam in ſuo genere aſpernandus. Sed nullo vnquam nauali facinore commendatus. Vnum tamen beneficium mari debuiſſe dicitur. Etenim quum inſidiæ Romæ *Neroni* vndique ſtruerentur, nec deeſſent qui *Galbam* ad Rempublicam capeſſendam ſollicitarent, claſſis vnde vnde abrepta, nullo remige, nullo nauta, nedum vectore aut milite inſtructa, ſed omni bellico apparatu facta, ad Hiſpaniæ portum quendam, vbi tum *Galba* ſollicitus agebat, appulit. Res ſtatim prodigio habita eſt; nec vlla res æquè cunctantem impulit, aut inter ſpem metumq; nutantem magis confirmabat.

Cap. 24. *Galbæ* extincto ſucceſſit *Otho*, *Othoni Vitellius*, *Vitellio Veſpatianus*. Inter Othonianos & Vitellianos leuis pugna in Pado flumine commiſſa memoratur. Cum claſſe etiam Miſenenſe Narbonenſem Galliam contra *Vitellium* inuaſit *Otho*. Interim falſus *Nero* ſubitò exortus, nomine *Andriſcus* multorum animos rei nouitate excitauerat: ſed diuturnum non erat iſtud, vndecunque ortum, Romani Imperii ludibrium: Gallatiam & Pamphiliam Aſiæ minoris prouincias illo tempore regebat *Calpurnius Aſprenas*. Is in itinere, dum inter maris Ægæi inſulas verſatur, quoſdam è Trierarchis ſuis *Neronis* nomine

Pſeudo Nero caſus.

mine ſolicitari comperit. Itaque emiſſis pauculis nauigiis Pſeudo-*Neronem* iſtum, viriliter ſe tuentem occidit. Corpus defuncti Romam miſſum, nec quioquam in eo *Neronis*, præter prominentiam oculorum, & vultus toruitatem agnitum. Sed quum comperta *Othonis* morte, *Veſpatianus*, qui tum Judæam tenebat, imperium appeteret, præmiſit ad hanc rem Mucianum. *Mucianus.* Is diutiùs intermiſſam rei naualis curam renouauit. Itaque contracta mediocri in Ponto Euxino claſſe, ad Byzantium deſcendit: auctiſque ibi copiis naualibus Italiam petiit, & Brundiſium, Tarentum, Calabriamque omnem & Lucaniam cum claſſe valida innauit. Aduerſus quam nihil opis aut ſubſidii in claſſe vel Miſenenſi vel Rauennatenſi; (vtpote quæ vnica jam legione ſingulæ conſtarent) inerat: Quid? quod Rauennatenſis claſſis ſtatim ſtudio partium, & maximè *Vitellii* odio, ad *Mucianum* defecit. Sed dum *Mucianus*, abducto claſſis Ponticæ præſidio, Italiam magno cum ſucceſſu innadit, ſubitò in ipſo Ponto bellum exoritur, duce *Regulo* cujuſdam in illis partibus municipio, nomine Aniceto. Is nouum nauigii genus excogitauit; in quo nullus ferri calybiuè, (quanquā in regione quæ ejus generis metallis præter cæteras abundabat) vſus erat; ſed ligneis clauiculis & paxillis compingebantur naues. Quin & noua forma nauibus data, ex qua Cameræ dicebantur. Arcta illis latera ſurſum erant, ſed lato alueo ſubnixa: & ab ipſa ſtatim aqua, non in rectum ſurgentia, ſed paululùm inclinata. Quoniam verò fluctus, tollente vento,

Cameræ, ſiue Cumbariæ nauis genus.

to, altius conſurgentes, ſuperatis laterum, vt ſæpè fit, marginibus, ipſos foros inuadebant, ideò ad fluctus excludendos, nouum quoddam inſtrumentum comparauerat; tabulas ſcilicet mobiles, quas pro modo tempeſtatum alias ſuper aliis ſurgentes, & leniter faſtigiatas addebat; donec ad extremum, ſi tempeſtatis ratio id poſcebat, tecti in modum deſuper coirent. Cujus generis nauigium, Græci, λάρνακας, hoc eſt areas & capſas antiquitùs vocabant. *Tacitus* à tabularum curuatura & fornicatione Cameras appellare maluit. Has verò Cameras ad multa deinde ſæcula Ponticæ oræ incolæ retinuerunt: ſed vitiato paulatim ſono, pro Cameris Cumbas eas primò, mox Cumbarias, & denùm Gumbaria appellabant. Hac claſſe fretus Anicetus Trapezuntem, aliaſque Ciuitates Aſiaticas inuaſit: & propter crebras victorias in ore hominum eſſe cœpit. Quibus de rebus certior factus *Veſpatianus*, eò properè Virbium Geminum, ſpectatæ virtutis virum mittit. Isquum vnde claſſem contraheret, non haberet, raptim cæſa materie, nouam totam extruxit. Cum qua mare ingreſſus, primo impetu Anicetum in terram, fugauit, Cameraſque ejus incendit, ipſum verò deditum, vt Vitellianis partibus fauentem, interfecit.

Anicetus.

Cap. 25. *Veſpatianus.*

Interim *Veſpatianus* ex Judæa in Ægyptum frumenti modum, antequàm Romam proficiſceretur, in poteſtate habiturus, deſcendit. Qua maximè re partes Vitellianas in Italia afflixit. Vrbem verò ipſam fame jam laborantem miſſa eò Claſſe Alexandrina recreauit: Erat hiis temporibus

temporibus quidam genere Batauus, nomine Ciuilis; vir impiger, & manu promptus: Is rapta ex *Neronis* primum, tum *Galbæ*, & *Othonis* cædibus, deinde & ex *Vitellii* cum Legionibus ad Imperium quærendum discessu occasione, Romanos omni militiæ genere variè fatigabat. Vir, si quis vnquam ex Batauorum Insula, insignis, Sed prima ei cũ Romanis pugna naualis in occiduo Rheni fluminis brachio erat. In qua Classem Romanam omnem quidem, quamuis non magnam cepit: victoriamque reportauit, claram in præsens, vt ait *Tacitus*, & in posterum vsui; armaque & naues, quibus indigebat, adeptus, magna per Germanias Galliasque fama, *libertatis auctor* ferebatur. Quippè qui cum Tutore Germano, & Classico Gallo conjunctus multa Romanorum millia in acie ceciderat, castra & præsidia expugnauerat, naualibus etiam incursibus & prælijs classes oppresserat; vt supremum Romanis diem illis in locis facturus videretur, ni cæso mox *Vitellio*, summa Imperij ad *Vespasianum* recidisset. Cujus fortunam reuereri simul & horrere Ciuilis cœpit: nam & distractæ primùm Legiones Romanæ omnes vni *Vespasiano* sacramentum dixerant; & quia Batauia Insula erat, ideò classis ex Britannia ad eam inuadendam accersebatur: omni enim tempore post *Claudij* in hanc Insulam aduentũ, classis quæ Britannica dicebatur, ad Oceani hujus tutelam data fuerat, & in ea ad omnes occasiones intenta stabat. Quibus rebus motus Ciuilis maturè *Vespasiano* manus dedit. Nec *Vespasianus* tam fortem virum aspernari, *Ciuilis Batauus.*

aut

aut praua vltionis ſpe hominem ad arma natum, & in armis tanta prius cum Romanorum ſtrage & ſui laude verſatum vltra laceſſere è re vel ſua, vel publica, eſſe exiſtimabat.

Cap. 26. *Veſpaianus* in Ægyptum deſcenſurus oram Iudææ maritimam peragrauit: inter cæteras vrbem Ptolemaiden adiit: ea priſcis temporibus Ace dicta, poſtea Ptolemais fuit. Sed bello demùm ſacro à Chriſtianis ſub annum Domini milleſimum & centeſimum ſuſcepto, priſtinum nomen, leui immutatione facta, recepit, & Acon appellari cœpit. Eam Belus ſiue Beleus Fluuius præterlabitur, profunditate magis quam latitudine conſpicuus: & religionibus ſacer olim magis quam vſu bonus. Eſt enim pom inſaluberrimus. Belus ad duo ab vrbe ſtadia ſe in mare effundit; in ipſo verò fluminis oſtio vitrea arena reperitur; omni illa admiratione digniſſima: vtpote quæ nitro prius perfuſa, igne deinde mollitiem capit, & liquefacta in vitrum transformatur; idque inexhauſta quadam penu: multæ vt naues eôdem conuenientes, nullam copiæ imminutionem vel faciant, vel ſentiant. Addunt & illud: locum ipſum ſtupenda quadam natura non ſolum arenas quaſcunq; ſiue è mari egeſtas, ſiue per fluuium expulſas, ſiue è vicinis collibus eò ventorum turbinumque vi impulſas, verumetiam quaslibet alia metalla, ſi locum contigerint, breui temporis ſpatio in vitrum tranſmutare. Idque *Strabo* & *Tacitus*, inter priuata littoris, quod Beli amnis os & vrbem Sidona interjacet, miracula recenſent. *C.* verò *Plinius* tricesimo ſexto

Ptolemais vrbs.

Acon.

Belus amnis.

Arena vitrea ad Beli, in Iudea fluminis os.

ſexto Naturalis Hiſtoriæ libro ſimilem arenæ vim ad Vulturni fluminis os in Italia, itemque in Galliæ & Hiſpaniæ littoribus ſuo tempore repertam fuiſſe tradit. Sed vt noſtra hac Venetum, ita illa ætate nobilius cæteris erat vitrum Sidone confectum; utpote quod non ſolum flatu formari, verum etiam torno teri & in argenti morem cælari potuit. Itaque *Vitri* nunc *artificem*, nunc *officinam* Sidonem dictam legimus; nec illa minus ſuo Vitro, quam vicina Tyros ſua purpura ſe efferebat.

Veſpaſiano verò defuncto ſucceſſit *Titus*, *genere* ille *humani delicia* dictus, cujus fœlicitati illud in mare acceſſit: quod eo imperante Britannia noſtra omnis, in Romanorũ poteſtatem primùm venit. *Claudius* enim, quod anteà à me dictum eſt, partem ejus tantum in prouinciæ formam redegit; quam diuerſi ſubinde Præſides rexerunt, *Plautius*, *Oſtorius*, *Veſpaſianus*, *Didius*, *Paulinus*, alii, qui ſuas cum Britannis, vel laudes, vel clades nunc proſpero, nunc aduerſo Marte miſcuerunt. *Veſpaſiano* verò regnante, miſſus eò eſt *Julius Agricola*, vir pacis bellique artibus inſignis. Qui quum exacta jam pœnè æſtate, (quo tempore reliqui ferè Imperatores loca hibernis circumſpicere ſolebant) prouinciam intraſſet, cum exercitu ſtatim profectus in Monam Inſulam, non mediocri interuallo à continente diſjunctam, pedibus mare ingreſſus, ſine omni nauium miniſterio penetrauit. Id miraculo Inſulanis primò habitum mox metum incuſſit, & in vltimam demùm deſperationem egit: quid ni enim illi cederent, cui

Cap. 27.

Mona inſula, ſine nauibus petita.

cui mare ceſſiſſe & tutum inter fluctus iter præbuiſſe cernerent. Scilicet, quod *Alexander* olim in Lyciæ littoribus, quod *Scipio* in Carthaginis nouæ obſidione fecit, æſtus deceſſum, & latentia ſub aquis vada cæteris attentiùs & ſolertiùs notauerat. Veruntamen Monam Inſulam debellaſſe tanti fuit, vt non victoriæ modo, verum etiam ſummæ moderationis laudem inde retulerit *Agricola*, quod literas alias quam laureatas ſuper ea re ad Senatum miſerat. Quum verò cætera omnia Britanniæ littora cum Inſulis adjacentibus populo Romano jamdudũ innotuiſſent, ingens *Agricolam* inceſſit cupido, terminum ejus Borealem, ſi quis eſſet, inuenire; nec vltrà Britannia inſula an continentis pars foret, in ambiguo eſſe pati. Itaq; contractam claſſem à Mona inſula Aquilonem versùs nauigare juſſit. Ita tamen vt littus vſque legerent, & in conſpectum exercitus ſub noctem ſemper venirent. Hac nauigatione Glotam ſiue Clotam, æſtuarium, (quod nunc *Dumbritum Frithum* appellant) ad Occidentale Scotiæ latus quà Hiberniam ſpectat poſitum, adueniunt. Quumque compertum haberet, in aduerſo Inſulæ latere, quæ Orientem reſpicit, aliud perinde magnum æſtuarium, *Bodotria* dictum (quam nunc *Forthum* vocant) in terram incurrere, cœpit animum aduertere, & quod interjacet ſpatii caſtellis & præſidiis firmiſſimis muniuit. Saltèm vt barbaros à reliqua Britannia eo obice excluderet: & in aliam veluti inſulam ſummoueret. Inde Glaſcouiam vrbem, & illuſtris Hamiltonum familiæ caſtrum ad

Britannia inſula eſſe deprehenditur.

Cluidæ,

Cluidæ, Sterlingiam verò ad Forthæ fluminis ripâ quamuis diuersis forsitàn nominibus, originẽ olim traxisse reor. Quumq; variis jam & si vnquã, dubiis & sanguinolentis prælijs, omnes terræ illius populos fregisset; misit qui vltimam rerum, vt putabant, metam explorarent. Hii primi Romanorum Clnida egressi mare Deucalidonium, vt Myniæ olim Pontum Euxinum *Jasone* Duce, majori ausu, quamuis non pari fama nauigari posse docuerunt; Orcadasq; insulas circum circanauigarunt. Inde ad Australe demùm latus reuersi, Britanniam verè insulam à toto orbe diuisam esse retulerunt. Reuersò verò *Agricolæ*, *Titus* triumphales honores & ornamenta detulit. Triumphari enim Romæ ab *Augusti* temporibus desitum est. Duos verò *Titus* imperauit annos: quo tempore nihil, ad bella quod attinet, seu terra, seu mari fecit: præterquam quod prælia naualia duo, alterum sub Corcyrensium & Corinthiorum, alterum sub Atheniensium & Rhodiorum (adeò jam præstantissimarum olim gentium nomina euiluerant) exhibuit. Ad reliqua quod attinet, nullum illo biennio generi humano tristius, aut funestius, vel terra, vel mari vlla ætate tempus contigit. Imminet mari non procul Neapoli mons Vesuuius flammas fumosque, vt Ætna, euomens, cinereisque in vicinos campos cum mugitibus, horrendisque tremoribus sæpenumerò eructans. Sed hoc tempore tam insolita rerum facies omnia, in illo Italiæ tractu occupauit; vt qui prius mundum æternum fore non dubitabant, omnia jam ne in antiquum

quum Chaos protenus recíderent, timere cœperint. Primum enim magnus numerus hominum inuſitata magnitudine, quales gygantes finguntur, in eodem monte & regione finitima, ac vicinis ciuitatibus interdiù noctuque vagari, verſarique in aere viſus eſt, vt refert *Dion*; Ad hæc, ſonitus tubarum, armorum, tonitruum, non ſolùm è monte ipſo, verum etiam ſub pedibus audiri. Nec in terra tantùm, verum etiam in mare fremitus ad aures accidebant. Itaque properabant alii ex ædibus in vias, alii è viis in ædes confugere; quemlibet præterquam in quo erant locum tutum fore rati. Tanta verò erat copia cineris, vt terram mareque, atque adeò ipſum aer ẽ compleret. Quæ res non ſolùm hominibus prædiiſque, & pecoribus, & ſatis damnoſa fuit, verum etiam piſces volucreſque peremit, duaſque integras vrbes, Herculanum & Pompeios, populo tum ſedente in theatris, & ſpectaculis intento penitùs obruit; nec hiis finibus contenti, cineres in Africam porrò & Ægyptum, & Syriam, globis delati, pernolarunt; ſtupentibus rei miraculo gentibus, quum cauſam rei ignorarent. Equidem non ita pridem nauem in alto mari nauigantem, cinere vndique conſperſum eſſe accepi; quid mirũ? quum tam diſsitæ, tanquam longinquæ regiones ſimile quid paſſæ, hoc exemplo, reperiantur? multi mortales hac peſte abſumpti ſunt, ſed præter alios, *C. Plinius*, Claſsis tum Miſenenſis Præfectus: qui quum atram ex Veſuuio nubem volui primo diluculo conſpiceret, triremi conſcensâ, eò ſtatim viſendi & cognoſcendi cauſa

C. Plinii mors.

properabat.

properabat. Quamuis autem cinis jam, & denſior, & feruidior nauiganti incideret, nullo tamen vel amicorum, qui vnà erant, ſuaſu, vel ipſius magiſtri, cui monenti paruiſſe debuit, conſilio adduci potuit, vt retrò curſum flecteret. Dum nauigat, hîc montis in littus prolapſi ruina longiùs à terra ſummouetur: curſum illic in alto tenenti, vadum ſubitò exortum obſtitit; ſed pertinax propoſiti animus, non priùs miraculum illud naturæ ſpeculari deſiit, quâ cinis cum tetro ſulphuris odore magna copia incidens ſpiritum occluderet. Anno ſequenti *Titus* in Campaniam adres ibi tot incendiis deſolatas ordinandas proficiſcitur; quo abſente magna Romæ pars, igne ſubitò ex ipſa terra paſſim erumpente, conflagrauit; Deo profectò, vt mihi videtur, templi Hieroſolymitani ab illo recentèr tũ euerſi pœnas exigente: nam præter priuatas ædes, falſorũ etiam Deorum, *Serapidis* ac *Iſidis* fana, templum *Neptuni*, *Pantheon*, & *Jouis* ipſius Capitolini ædes, eodem igne hauſta funditus perierunt. Quid ni enim ego, hæc omnia in templi ſui (quamuis à ſe jam derelicti) vindictam à Deo immiſſa fuiſſe cenſeam, quum ne ipſi quidem tum Romani (vt author eſt *Dion*) gentiles quamuis & à vero Deo, cujus & templum & vrbem vaſtauerant, alieni, hoc malum *diuinum* planè, hoc eſt, diuinitùs immiſſum & inflictum fuiſſe dicere non dubitarent.

C. Pliinii nepos.

Roma igne ex ipſa terra erumpente deformata.

Tito vero ſucceſſit *Domitianus* frater, *Domitiano Nerua*; à *Nerua* res ad *Trajanum* delata eſt; hic expeditionem in Parthos ſuſcepit; Cap. 28.

Euphratemque & Tigrim transgressus vltrà *Alexandri* tropæa tendere constituit: ma jor tamen eum impetus maris Erythræi siue Oceani Orientalis littus visendi cepit. Itaque ad dextram deflectens, voti quidem hujus compos euasit, nauigiisque in Oceanum euectus illa maris jactatione veluti ludo quodam (quod olim *Alexandrum* in Oceano Indico fecisse constat) se aliquantisper oblectabat; conspectaque naue quæ in Indiam nauigabat, se siquidē annis junior esset, eò profecturū professus est; *Alexandrum* subinde, quod eò penetrâsset, fœlicem vocans. Inde reuersus in itinere mortem obiit; eique summo omnium studio successor datus est *Adrianus*, qui res quas sciam in mari nullas gessit. Eo tamen imperante partim mercaturis, partim expeditionibus effectum est, vt via ad Indos notior, quam prius, mari fieret. Etenim *Arrianus* quidam vir pacis militizeque studiis clarus, Periplon siue maritimam itinerationem, hoc tempore, maris Erythræi accuratissimē conscripsit; in quibus itinerum, regionum, gentium, oppidorum, portuum, promontoriorum, fluminum, quæ maris vtriusque littori adjacent, ea fide & diligentia perscripsit vix vt aliquid hac nostra ætate iis addi possit.

Arrianus.

Cap. 29. Dixi superius temporibus *Claudii* Imperatoris, *Annæi Plocami* libertum tempestatibus abreptū Taprobanem insulam & orbem orientalem Romano Imperio aperuisse. Romani verò hac arrepta occasione, quousque poterant armis omnia subegerunt, & vectigal deuictis indicebant:

indicebant: ſed mercaturis faciendis nullum deinceps finem poſuerunt. Itaque *Adriano* imperante periplus hic maris Erythræi ab *Arriano* inſtitutus eſt. Qui ab intimo ſinus Arabici portu initium faciens dextrum primum littus ad Caput ferè bonæ ſpei Occidentem verſùs perſequitur; ſingulis promontoriis, inſulis, portubuſque ſua nomina, vt tum ferebant, apponens; quæ Portugalli deinde auorum noſtrorum memoria magna parte immutarunt. Inde reuerſus Orientem petit, ſtatimque ab oſtio ſinus Arabici, Arabiam fœlicem attingit: non illam regionem, ſed vrbem, & emporium toto orbe à multis anteà ſæculis celeberrimum. Eo enim ex reliqua Arabia omni Perſideque & India, aromata, & ſi quid diuitius natura in illis regionibus procreabat, terra marique aduehebantur. Hæc nimirùm eſt illa vrbs quæ nunc Aden, ſeu Adem Belle foreſto, & *Ludouico Patritio* dicitur: centum & viginti milliaribus ad Orientem ab Arabici ſinus oſtio poſita. Inde Alexandrini poſtea petebant, quas toti orbi Romano communicarent, merces. Sinum deinde Perſicum radit, & Ormuſam ſiue Harmoſam inſulam intrà ſinus Perſici oſtium poſitam perſtringit; non quidem ſub Ormuſæ nomine, ſed erat illa vna de tribus inſulis infra oſtium ſinus Perſici locatis, quas Callaias vocat. Tum littus Indicum inuiſit: ſigna regionis in vaſto illo Oceano nauigantibus occurrentia deſignat: *Serpentes nigros anguillis aut murenis magnitudine pares toto mari natantes*: eo indicio ſe Indiæ regionē ſub ſiniſtris non longè

Aden emporium in Arabia celeberrimū.

habere noſcunt. Quã tamẽ rem Gubernatores Portugalli in ſuis itinerationibus tanquam ſuũ inuentũ jactant, vt ex *Linſchottenii*, *Tho. Lopezii*, & *Andreæ Corſalii* libris editis apparet. Indum verò fluuium nullum nominat Arrianus, ſed Synthum: ſiue illud priſcum fluuii ipſius nomen erat, ſiue præcipui ejus fluminis oſtii appellatio, à quo totum ab *Arriano* nominatum videatur. *Ptolomæus* enim Synthum inter ſeptẽ Indi fluminis oſtia præcipuũ recenſet. *Plinius* verò Syndũ vocat: vt exiſtimare liceat, vel ab Indo Sindum, vel à Sindo Indũ, literula vna vel addita, vel ſubtracta, quod ſæpè fit, fuiſſe nominatum. Idem quem dixi *Corſalius* tanquam rem nouam & prius inauditam, ſibi in ſua nauigatione mare vicinum Indiæ lacteo colore apparuiſſe refert; quaſi verò non & hic noſter *Arrianus* in hoc ſuo periplo id ipſum tradidiſſet. Cambaiam nunc celebrant noſtri; quo vocabulo ſiue ciuitatem denotent, ea *Arriano* Syraſtrena eſt, ſiue ſinum, in quem Indus effunditur, is Canthicolpus Græcè, hoc eſt, Canthi ſinus dicitur. Sed ne multus in hiis ſim, periplus hic, non ſolùm ad Gangis oſtia, Malacamque in aurea Cherſoneſo poſitam, & Taprobanem, ſiue Sumatram, verumetiam longiùs ad Orientem & ad vſq; Sinenſium regnum, quod Chin ſiue China nunc dicitur, ſe extendit; idque tam certo ordine, vt nihil ſit faciliùs, quam difficillimas pleraſque inter ſcriptores hiſce de rebus ſubortas lites, ex hoc periplo componere. Multi erant hoc in quo nunc verſor ſæculo, qui res Indicas diligentèr admodum

Indus.

Lacteus maris Indici color.

Cambaia.

tractabant

tractabant. *Strabo*, qui temporibus *Tiberii* vixit: sed ille magis Mediterranea sequutus. *Plinius* deinde, solertissimus naturæ in omni genere scrutator. Mox *Ptolomæus*, qui Marinum quendam sequutus, sed eum emendans, pinacas illas suas, siue Tabulas Geographicas, ad Cœlorum gradus ita statuit, vix vt illæ rerum experientia ad hanc vsque ætatem aliqua ex parte refellantur. Sed *Arrianus* hic noster in rerum Indicarum explanatione plus cæteris elaborauit. Nam & in Historia de Expeditione *Alexandri* Magni scripta eas diligentissimè persequutus est; & singulareni insuper de rebus Indicis librum edidit; & hunc denique ejusdem littoris periplum accuratissimè conscripsit: Quem librum *I. Stukius*, genere Germanus, doctissimis suis scholiis illustrauit, nouaq; nomina, vt erant nuper à Portugallis imposita, priscis vrbiũ, portuũ, promontoriorũ & insularũ appellationibus subjunxit. Quibus de rebus latiùs paulò, veluti radio egressus, scripsi. Sed id eo animo feci, vt rerũ mundanarum (quod mihi sæpè facio) vicissitudinem legentibus antè oculos videndam constituã. Quoties enim ditissima illa & naturæ dotibus omni in genere refertissima regio ad hujus nostri orbis notitiã peruenit? quoties & recessit? *Alexander*, (ne quid altiùs repetam) eam olim terra marique aperuit: anno deinde ducentesimo, sic euanuit; vt nisi homulus quidam fortuitò ventorum casu abreptus eò peruenisset, esset India, esset Taprobane, necnè, tantùm non dubitari posset. Illo igitur sæculo rursùs

India olim variè & reperta, & amissa.

rursùs innotuit; sed paulò pòst sic è notitia, veluti è conspectu, abiit, vt recognitæ beneficium Portugallia debeamus: Hli enim circitèr annum 1496. à *Johanne* Rege suo missi multis sudoribus, quòd Guineæ littus præterlegissent, ad promontorium quoddam longissimè in austrum procurrens peruenerunt: vbi præter solitas maris injurias fulmina cæteraque cœli prodigia passi, tandem industria sua caput ipsum superarunt; qua re contenti, ad *Johannem* redierunt; suisque chartis huic promontorio nomen Tormentosum, inscripserunt. *Johannes* verò re diligentiùs & maturiùs perpensa, quum caput illud ad tricesimum secundum latitudinis Australis gradum pertingere, vtráq; ad Austrum terrarum nihil, vasti modo pelagi famam inaudisset, tanquam voti compos Indiam jam manibus teneret, & spe plenus, locum ipsum pro Tormentoso, *Caput Bonæ spei* appellari jussit. Nec eum sua fefellit spes: anno enim reparatæ salutis 1499. *Vascus Gama* ab *Emanuele Johannis* hujus filio missus totam Indiam perlustranit: paulatimque eo Portugalli missi totum ferè littus primùm, deinde & interiora continentis, sui juris, structis vbique castris & munitionibus additis, fecerunt. Quibus de rebus explicatiùs, quam ad ea tempora deuenerimus, fauente numine, dicturi sumus.

Caput Bonæ spei, aliàs Tormentosum.

Cap. 30. *Adrianus* anno reparatæ Salutis centesimo & quadragesimo in humanis esse desiit; *Adriano* verò succesit *Antoninus Pius*; Multa ille bella per Legatos aduersùs Britannos, Mauros, Germanos,

Germanos, Dacos, Judæos, Græcos, Ægyptios, Alanos & Scythas gesſit; multa etiam toto orbe inter infenſiſſimas gentes ſuborta, vel autoritate, vel conditionibus compoſuit; ſed præter trajectus in mare nihil. Idem de *Marco Antonino* Philoſopho dicendum; per omnes terras victrices Aquilas circumferebat; ſed nullam ei in mare bellandi cauſam oblatam legimus. Nec alia ſub *Commodo*, *Pertinace*, *Juliano*, *Severo*, belli gerendi ratio; quamuis enim ingentia fuerunt & luctuoſa horum temporum facinora, omnia tamen terrâ perpetrata erant, præterquam ad Byzantium: cujus vrbis & ſæpè antè à me facta eſt mentio, & ſæpè poſthac facienda veniet; neque enim vlla toto orbe terrarum vrbs eſt, fuituè, quæ per tot caſus, totque rerum diſcrimina, diverſaſque fortunæ nunc proſperæ nunc aduerſæ viciſſitudines ad id faſtigii aſcendit quo Byzantium, quæ nunc Conſtantinopolis eſt, aſpirauit. Hæc vrbs *Nigri* partes eouſque aduersùs *Severum* fouit, vt ne cæſo quidem eo, pro quo ſtabant, ad *Severum* ciues trahi potuerint; vrbs ipſa, loco, quod ſæpè diximus, opportuniſſimo poſita, magna ſui parte mari clauſa erat; & muri quidem vrbis, quà continentem ſpectabant, ingenti altitudine attollebantur, fruſtrà vt omnes ab ea parte oppugnatio eſſe videretur. Ad mare verò verſi humiliores quidem à fundamentis erant; ſed ſcopuli tamen ipſi quibus impoſiti erant muri, præruptiadeò vel potiùs abſciſſi magna parte erant, & tanta altitudine ab aquis extabant, nullum vt

Byzantii obſidio & excidium.

ab

ab ea parte periculum ostenderetur; duo etiam portus intrà murum extructi, ingentibus catenis ferreis claudebantur, & projectæ exteriùs in mare moles ex saxo ædificatæ, arctiores vtriusq; portus fauces efficiebant; & molibus turres impositæ ipsis faucibus imminebant; quæ omnia inaccessã planè à mare ad vtrumuis portũ viam hostibus efficiebant. Neq; verò situ modò & munitionibus tuta hoc tempore vrbs illa erat, sed erant insuper in ea machinæ omnis generis ad quaslibet naues confringendas per muros dispositæ. Hiis immanis ponderis saxa trabesq; in hostem, si propiùs accessissent, emittebant, lapides verò telaque atque hastas, si longiùs stabant, in eos euibrabant. Erant & nonnullæ machinæ quas harpagonas, seu manus, ferreas appellabat. Has in naues mænibus succedentes demittere, raptasq; in sublime tollere & mænibus appendere solebant. Quarum omnium Machinarum Artifex erat quidem nomine *Priscus*, veteris illius *Archimedis* æmulus.

Classis Byzantinæ modus.

Habuerunt etiam Byzantini quingentas naues, magna parte vnirenes, nonnullas etiam biremes, & triremes alias, sed rostratas omnes; quasdã etiã vtrinq; hoc est tam à puppi, quàm à prora, gubernaculis instructas; duplices etiam gubernatores, ac nautas, paribus officiis habuerunt; vt nulla vel nauium ipsarum conuersione, vel ministeriorum interturbatione, vel hostibus inferrent se, vel si res poscerẽt, se reciperẽt, eosq; tã accessu, quã recessu fatigarent. Quod genus naviũ, *Germanicũ*, dum Frisios olim & Saxonas debellaret,

debellaret, primum excogitâſſe dixìmus; mirũ vt ſit, noſtræ hujus ætatis pugnis naualibus tantoperè deditæ neminem ad hujuſmodi nauium genus fabricandum, animum adjeciſſe. Infinitum eſſet ſingula quæ in illa obſidione, præſertìm mari, contigerunt enumerâſſe; toto enim quo obſidebatur vrbs triennio, rarò à præliis naualibus vllo die ceſſatum eſt; in quibus grauia plerumque incommoda & vulnera obſeſſi obſidentibus inferebãt, quos nec in otio tantìllum temporis agere patiebantur; ſed ſi quando pugna feſſi, lõgiùs à muris ad anchoras, obſidendi magis quam oppugnandi cauſa ſtarent, vrinatores ſubinde ab vrbe ſubmittebant, qui præcipuis quibuſque nauibus funes, clauis affigebant; mox præciſis anchoralibus abibant: tum Byzantini in littore ſtantes fixas ad ſe cum riſu pertrahebant: ſtupente Romano, quod velit, nolit, nulla apparente cauſa, ſed vi quadam diuina ad hoſtes cædendi, veluti victimæ, traherentur. Accedebat eôdem, quod Mercatores ſæpè ſe Byzantinis vltrà capiendos offerebant; qui poſtquam magno pretio mercimonia ſua vendidiſſent, ſimulata fuga ſe ad ſuos recipiebant. Quo maximè commento longo tempore fallebant, & obſidionem vltrà ſpem ſuam aut opinionem hoſtium producebant. Verùm quum hac fraude detecta arctiùs clauderentur, conſumptis demùm rebus omnibus quæ intùs erant, quamuis in ſummis angùſtiis conſtituti fortiter tamen, reſiſtebant; cumque ſumma eorum ſpes in rei maritimæ vſu eſſet,

esset, veteres Carthaginienses imitati, detracta ædium materia ad naues fabricandas, mulierum verò capillis pro sparto ad eas funibus instruendas vtebantur; cumque hostes muros jam contemptim subirent, nec illi lapides majores, quos machinis emitterent, in vrbe reliquos habebant, lapides marmoreos, ingentes & multa arte politos, nec hos solùm, verumetiam equos ex ære lapideúe solidos, statuasque, & alia nobilia signa, quibus vrbs illa inter primas terrarũ orbis ciuitates ornata erat, in aduersos integras jaciebant; planè vt nouo quodam & inaudito equitatus peditatusq; genere hostes se in mari peti mirarentur. Postquàm verò cibi consueti omnis genetis copia consumpta jam esset, ad pelles animalium aqua calida maceratos vescendos se vertebant, nec muribus, aut soricibus, aut felibus & canibus abstinebant. Quibus etiam consumptis, magna pars mediis tempestatibus & procellis pro occasione freti, inter hostium stationes magno periculo nauibus impositi aufugerunt; nullum fati genus recusantes, dummodò fame (peste omnium teterrima) mori non cogerentur; qui verò in vrbe remanserunt, ad mutuas cædes conuersi, non aurum, non supellectilem, non reliquas diuitias, non denique vindictam appetebant, sed id modo agebant, vt occisi cadauere ad sui corporis sustentationẽ, & famem pellendã potirentur. Cujus moris pertæsi rursùs ad fugã marĩ faciẽdã non priuato jã, sed publico consilio, animos aduerterunt; nec singulis, vt antè nauibus, sed

vniuersa

vniuersa, quantam quantam ex omni nauigiorum genere facere possent classe comparata. Quæ sententia quum stetisset animis, tanto repentè numero in singulas inuolabant, vt multæ ipso in portu, aliæ statim egressæ irruentiũ, vt in talibus ferè fit, vectorũ pondere depressæ mergerentur. Reliquæ verò dũ sæuiente pelago sic ferrentur, vt ipsi laterum margines aquis vix extarent, facili hostium in transuersos impetu deprimebantur. Nec pugna hæc erat, sed ingens miseris clades à crudeli hoste, nullo discrimine, illata. Id verò quum Byzantini è mœnibus conspexissent, non jam ad lachrymas, quas ingens dolor compresserat, sed ad lamenta & ejulatus conuersi, Deos quisque vel priuatim suos vel publicè patrios nunc inuocabant, nunc accusabant. Tanta enim erat fractarum tabularum multitudo, vt quum multò maxima pars ad vrbis mœnia appelleretur, ingens tamen earum copia in Insulas & in Asiam ipsam ventis delata perferrentur: ex quibus gentes longè dissitæ cladem Byzantinorum, nullo nuntio perferente, perceperunt. Hac clade fracti Byzantini deditionem demùm faciunt: qua hostes crudelitèr vsi omnes qui Magistratum in vrbe gesserant, trucidarunt: nuntio verò victoriæ ad *Seuerum* perlato, tantam lætitiam indè cepit, vt hac voce homo minimè alioquin vanus ad amicos sæpiùs vteretur, *Tandem & Byzantium cepimus:* Ipsi verò ciuitati libertatem & jura dempsit; bona ciuium publicauit; ipsamque & agrum omnem vicinum Perinthiis æmulis quidem,

dem, ſed dignatione haudquaquam comparandis conceſſit; Hii mœnia vrbis euerterunt, eamque in ignobilis vici formam redegerunt. Ferunt Byzantinos non alia re æquè ac murorum ſubuerſione indoluiſſe. Erant enim operis magnificentia cum mundi miraculis comparandi; in quibus ſeptem turres fuiſſe perhibentur, quæ à Portis Thraciis ædificatæ ſpectabant ad mare; in quarum prima, ſi quis vocem emiſiſſet, tale erat in ea artificium, vt is ſtatim ſonus ad ſecundam, indeque ad tertiam, & denique ordine ad ſeptimam integer perferretur. Sunt qui ferunt hanc (vt ita loquor) vocalitatem in mœnibus olim Thebanis ab *Amphione* extructis fuiſſe; In Eccleſia certè Cathedrali Claudioceſtrenſi notiſſima apud nos res eſt, & mihi ipſi experiundo compertiſſima, eſſe locum ſimiliter vocalem, quem *Clauſtrum ſuſurrans* vocant; in quo ſi quis vocem leniſſimo ſpiritu & tenuiſſimo ſuſurro emiſerit, longè indè ſortus, iſque articulatiſsimus, & perceptu facillimus perfertur. Quod quamuis primùm audientium animos variè verſare ſoleat, nihil tamen habet hiis, de quibus nunc loquor, mœnibus comparandum. Hic tum Byzantii caſus erat: ſed ea fuit loci ipſius opportunitas, vt non ita multo pòſt priſtinam non ſolùm libertatem, verumetiam claritatem reciperet, dignaque demùm videretur ciuitas, quæ altera Imperii Romani ſedes & *Noua Roma* vocaretur. Scio non indiligentem Lectorem ducum, qui hanc tam diuturnam præclariſsimæ vrbis obſidionem,

Turres vocales.

vel

vel fecerint, vel defenderint, nomina deſideraturum. Quis enim vel *Homerum* Trojanam, vel *Maronem* Lauinii obſidionem tradentes legeret, ſi res geſtas narrâſſe contenti, *Hectoris* ille & *Achillis*, hic *Æneæ* & *Turni* nomina tacuiſſet? ſed enim hanc gratiam *Xiphilino* & *Theodoſio Dionis Nicæi* temporum illorum ſcriptoris longè præſtantiſsimi non abbreuiatoribus, ſed exectoribus debemus: qui ut ſua opuſcula nitidiora paululùm & effœminatiora populo venditarent, quicquid in autore roboris, aut virilitatis inerat, rapuerunt.

Libri primi finis.

THO. RIVII

HISTORIÆ NAVALIS MEDIÆ, LIBER SECVNDVS.

Argumentum.

GAllieno primùm Imperante, Scythæ sive Gothi Romanum Imperium magna classe invadunt. 2. Repulsi, iterum paulò post cum sex mille navibus classe redeunt: & à Claudio Imperatore delentur. 3. Franci à Probo Imperatore à sedibus suis ad Pontum Euxinum transferuntur. 4. De Carausio Gallo, ejusque in mari gestis. 5. De Francis & Gothis prælio navali à Constantio deletis. 6. Pompeii & Constantii in Persidis debellandis comparatio. 7. Constantius in Britanniam transmittit. 8. Confusi rerum status sub Diocletiano, Maximiano, & eorum Cæsaribus, Galerio & Constantio, ad Constantini magni tempora. 9. Memorabilis inter Constantinum & Licinium pugna navalis ad Hellespontum. 10. Constantinus Byzantium restituit, ampliat, ornat,

ornat, à ſuo nomine Conſtantinopolim, & Nouam Romam vocat. 11. Obeliſcus, quid? 12. De Juliano Imperatore. 13. De 80 Sacerdotibus Valente imperante ſubmerſis. 14. De mirabili terrarum inundatione ſequuta. 15. De Moſe Cyprio. 16. Gentes Boreales in Romani Imperii terras, quaquauerſum effuſæ. 17. De Clemente Maximo rerum in Britannia potito. Et de Vrſula virgine, cum comitibus in mari cæſa. 18. De Valentiniani, ab Aquileia, ad Theſſalonicam per mare fuga. 19. De memorabili Protbingorum in Iſtro fluminis ſtrage. 20. De Valentini in Italiam à Theſſalonica cum claſſe reditu; & Andragathii in mare mortuo, & rebus in Occidente à Theodoſio conſtitutis. 21. De altera Theodoſii in Italiam expeditione, & morte. 22. De Alarico Gothorum Rege à Stilicone, vt ferunt, in Italiam attracto, ejuſque morte, & Roma à Gothis capta. 23. De nauali inter Frajutum & Gainem in Helleſponto pugna. 24. De claſſe à Theodoſio Juniore Honorio in ſubſidium miſſa: & pugna nauali inter Heraclianum & Attaulphum Gothum ad Gades commiſſa. 25. Heracliani cum ter mille ſeptingentarum nauium claſſe cædes. 26. Inſigne Gothorum in freto Gaditano naufragium. 27. De Vandalorum ex Hiſpania in Africam trajectu, & de Aetii cæde. 28. De Attilæ Hunnorum Regis in Italiam deſcenſu. 29. De Venetiarum vrbis origine. 30. De Britannorum à Romanis imperante Honorio defectione, & Rege è ſuo corpore delecto. 31. De Saxonum, Hengiſto Duce, in Britanniam appulſu. 32. De Vterpendragonis ex Armorica in Britanniam

niam reditu, & geſtis contra Vortigerum tyrannum, & Hengiſtum Saxonem. 33. *De Vandilorum regno à Genſerico in Africa inſtituto, deque ejus potentia nauali & Roma ab eo capta & direpta.* 34. *De Claſſe Romana à Giſerico Vandilorum Rege ad Carthaginem oppreſſa.* 35. *De Conſtantinopoli à Vitaliano obſeſſa, & de claſſe ejus à Proclo Philoſopho ſpeculis uſtoriis incenſa. Denique de Beliſarii Ducis in Africam ad Vandilos debellandos expeditione agit.*

Cap. I.

Seuero succeſsit *Antoninus* filius, *Antonino Macrinum*, eique *Heliogabalus*. Quorum neuter quicquam nauibus geſſiſſe proditur, niſi illud fortè commemorare libeat, quod *Heliogabalus* iſte, naumachiam populo præbiturus, effoſſum campum Martium non immiſſo, vt alii, Tiberi, ſed infuſo vino impleuit: nec vltrà quicquam de hoc ipſo pugnæ nauali ſimulacro à ſcriptoribus traditum reperio. Huńc *Heliogabalum* ſequutus eſt *Alexander Mammeæ* filius, *Alexandrum Maximinus*, vir pedibus octonis vno digito altior, *Maximinum Gordianus*, *Pupienus*, *Maximus*, & *Balbinus*, *Gordianus Junior*, *Philippus Arabs*, *Decius*, *Gallus Voluſianus* & *Valerianus*, is qui à *Sapore* Perſarum Rege non in prælio ſed in colloquio, ad quod impar venerat, captus, omnes captiuitatis & ſeruitutis indignitates & miſerias à barbaro victore pertulit. Cui prandenti, pro ſcabello, currum verò ſcandenti pro gradu dorſum præbuit. Sed huic tamen ad vltimum infœlicis fati acceſsit, quod *Galienum* filium ſe viuo Imperatorem reliquit. Quibus omnibus imperantibus quan- *Valerianus.*

quam nulla terrarum orbis pars à cæde & ſanguine immunis fuit, atrociſſimaque bella mutuis cladibus vbique terrarum geſta ſint, nihil tamen in mare motum eſt. *Galiene* verò imperante, omnia, non terra ſolùm, verumetiã mari, ſanguine redundabant. In hoc enim tempus incidit triginta illa tyrannorum diuerſis orbis partibus exortorum rabies: quippe nemo tam exiguæ exiſtimationis toto orbe Romano Dux, aut quantularumcunque copiarum præfectus tum erat, qui non ſe quam *Galienum* digniorem imperio eſſe duceret. Quid? quod gentes barbaræ ſe à Romanorum armis hactenùs defendiſſe contentæ, nunc vltrà terras imperii omni parte inuadebant; & cæteri quidem terra: Scythæ tum primùm re nauali, & maris vſu gloriam quærere cœperunt, tramiſſoque Euxino Heracliam primo & Cyzicum in Aſia, Myſos deinde, & aſios Iſtri accolas in Europa cum tota Græcia diripuerunt. Interim bis teruè claſsibus concurſum: quibus in prœliis Scythæ, præda Heraclienſi & Cyzicena grauem trahentes claſſem, à Romano, quiſquis ille fuit, claſsis præfecto ingenti hominum nauiumque clade affecti, ad ſuos redierunt. Indè refectis copiis & reparatis claſsibus Europam rursùs incurrere parabant. Sed à *Veneriano* claſsis Romanæ, quæ ad Byzantium tum ſtabat, Archigubernio cladem alteram acceperunt. Verùm ipſi paulò pòſt *Veneriano* ſortem cum fœnore reddiderunt; cæſo enim *Veneriano*, totam claſſem Romanam in fugam conjectam ingenti clade affecerunt; qua victoria elati, omnem Theſſa-

Prima Scytharum maritima expeditio.

liam,

liam, Bœotiam, totamque adeò Græciam vsq; ad vltima Epiri littora, vndè Italiam tantùm non despicere possent, armis peragrarunt; adeò quidem vt ipse *Galienus* cædes interim domesticas, familiares, & ciuiles, quibus omnia Italiæ loca fœdauerat omittere, & Scythis in Illyrico (veritus ne per illum tractum in Italiam irrumperent) occurrere cogeretur. Ibi hostes insigni clade ex prœlio terrestri temerè, vt sæpè fit, contracto affecit; quo facinore edito ad pristinas sordes reuolutus belli reliquias Marriano, vel, vt alii, Macriano duci persequendas tradit; Is vario euentu cum illis sæpè conflixit, magno tamen molimine eos ad naues demùm compulit. Scythæ igitur ad naues compulsi suam terram repetunt, sed mox cum ingentioribus copiis terrestribus & maritimis reuersuri; iurati ex illo tempore nominis Romani hostes, nec bello alium quam Romano Imperio finem imposituri. Hii enim Scythæ, Gothi illi sunt, qui concitato vniuersæ Scythicæ gentis nomine Romani Imperii terras simul & maria infandis deiiceps cladibus affecerunt, aurelisque primò membris, ipsam demùm sub quadringentesimum & decimum secundum à Seruatore nato annum vrbem Romanam rerum caput & mundi gloriam semel, iterùm, tertióque hostiliter diripuerunt, septemque collibus, quibus superba sedit, detractam solo affligere (mundi arbitro sic volente) valuerunt. *Scythæ, qui?*

Verùm, vt ad Scythas redeam vs, hii à *Macriano* in suas solitudines repulsi, cū sex mille nauium (vt author est *Zosimus*) classe paulò pòst Cap. 2.

ad

ad Bosphorum venerunt. Sed rerum maritimarum rudes adhuc & locorum imperiti, dum ventis secundioribus acti conferùm fretum ingrediuntur, nihil enim illo freto rapidus, incredibile dictu est, quantam jacturam, ex mutua nauigiorum compressione, in angustiis illis fecerint. Itaque ad suos reuersi rursùs classi reficiendæ & exercitui nouo comparando operam dant: & *Gallieno* interim defuncto, *Flauius Claudius* contra nouum hostem arma induit. *Tito* ille *Vespasiani* filio omni virtutum genere par, nisi forsàn major: sed & spatium regnandi compar; biennium vtrique imperandi finem fecit. Hoc biennio Scythæ rursùs terra marique bellum Romanis intulerunt: exercitus trecentorum viginti millium erat; classis duobus nauium millibus constabat; classe eo vsq; processerant, vt maximam insularum in Ægæo positarum partem diriperent; Cretam etiam & Cyprum tentarent: neque enim facile Romano principi erat, vel exercitum, vel classem, tam strenuo, tamque populoso hosti parem in vestigio contrahere: sed *Claudius* rebus demùm ad tantum bellum necessariis comparatis, aduersus hostem ducit. Classem verò sibi ad Byzantium occurrere jussit. Ipse eodem per Illyricum, Mysiamque, & Thraciam cum pedestri exercitu contendit. Terra marique bellum erat. *Claudius* ad Istri ostia congressus, vniuersam hostium classem depressit. Cætera deinde pari virtute & felicitate in terra gessit; vix vt numium cladis ex tanta multitudine relinqueret. Extat ipsius *Claudii* ad *Brocchum* apud

Claudius secundus.

Alia Scytharum expeditio naualis.

Pollionem

Pollionem epistola: *Deleuimus* (inquit) *trecenta viginti millia Gotthorum: duo millia nauium mersimus. Claudio* deindè *Aurelianus* suffectus est, *Aureliano Tacitus, Tacito Probus*: de quo extat illud *Aureliani* Imperatoris elogium, *si Probi nomen non habuisset, cognomen habere potuisse*: Vir, si quis vnquam in illo imperio, magnus simul & bonus. Hic omnem Germaniam quanquam armis se maximè tum efferentem multiplici vbique strage edita pacauit; populosque à sedibus quemque suis ad alias, velut æstiua pecora de saltu ad saltum, demigrare fecit. *Probus Imp.*

Inter alios, ingentem Francorum (qui non longè ab Oceano Germanico inter Salam & Rhenum terras incoluere) vim bello captam ad Pontum Euxinum (vbi Gothos & Scythas habitâsse diximus) transtulit. Eo consilio, vt gentem pari feritate & robore præditam, Scytharum & Gothorum ceruicibus veluti jugum imponeret. Quod sequiùs posteà, quam ille tùm animo destinabat, accidit. *Probo* verò militari facinore sublato successit filius ejus *Carus*: is qui, dùm Persas magna virtute debellaret, in tentorio suo fulmine ictus periit. Hic duos filios, vel, vt quidam scribunt, fratres, Numerium & Carinum in Imperio reliquit. Filios magis existimo; quandoquidem id de Numerio memoriæ proditur, cum *Carum* Imperatorem tàm misera sorte abreptum perpetuis adeò lachrymis prosequutum esse, vt in incurabilem planè oculorum valetudinem incideret. Rarum in filio, incredibile in fratre, præsertim in imperio successuro, exemplum. Hunc Cap. 3. *Franci è Germania ad littus Euxinum translati.*

Numerium

Numerium socer ipsius Aper in hospitio jugulauit. Quò facto imperium veluti hæreditatem jacentem inuasit. Id verò exercitus non tulit, sed *Diocletianum*, depulso Apro, Imperatorem salutauit. Imperante verò *Diocletiano* memorabilis in re nauali casus incidit; cui si summa virtute & festinatione obuiam ictum non fuisset, illo demùm sæculo res Romana nauali bus copiis ab hoste barbaro concussa concidisset.

Cap. 4. Erat quidam nomine *Carausius* ex Menapiis in Gallia oriundus, vir strenuus & multis vbiq; militaribus factis, sed præcipuè in mari nobilitatus. Is quum eodem tempore Cimbri, Saxonesque & alii maritimi Germaniæ populi, mare Britannicũ latrociniis infestarent, dignus habebatur, qui prouinciales ab eorũ incursibus, seu terra, seu mari tutaretur; quam ille potestatem adeptus, ea ad suũ commodum & vtilitatem nefariè exercebat. Piratas vt priùs liberè grassari patitur; nec nisi præda onustos aggredi solebat; captis verò pro spongiis vtebatur; bona sustulit, sed nec ipsos in crucem, quod fieri oportebat, egit, nec bona recepta vel Dominis restituit, vel ærario intulit. Qua de re certior factus *Diocletianus*, Cæsaribus *Constantio* & *Maximiano* in mandatis dat, vt hanc pestem è medio quamprimùm tollerent. *Maximianus* quo minimo cum negotio rem conficeret, percussorem submisit. Quod quum comperisset *Carausius*, vnicam salutis spem in eo posuit, si non jam ampliùs pro Classis Britannicæ Archiguberno, sed pro ipso Britanniæ Domino, & mundi

Carausius.

mundi *Auguſto*, ſe gereret; idque magno ſuorum aſſenſu fecit, rarò vt vllus majore exercitus ſui fauore purpuram induerit. Itaque præter Claſſem Romanam quam ad Britannici Oceani tutelam in poteſtate habuit, innumeras alias, eadem forma & robore ædificatas, aſciuit, Legionemque Romanam occupauit, & tam ipſam, quam peregrinos alios, & Mercatores Gallicos quoſcunque adipiſci poterat, ad munia nautica volentes exercuit, inuitos aſtrinxit. Quæ omnia eò majore fiducia agebat, quod *Conſtantio* & *Maximino*, (propriam enim Romanorum Claſſem unà cum veteribus ſociis naualibus ſibi ſociauerat) nouo & milite, & remige vtendum eſſe ſciret. Cæſares, quum tantam belli molem terra marique imminere cernerent, partito labore rem aggrediuntur. *Maximinus* mille nauium bellicarum claſſem, ſtructis ad Rhenum naualibus, parabat. *Conſtantio* terreſtris militiæ cura obtigit; qui quum *Carauſium* ad Portum Geſſoriacum appuliſſe, moramque ibi trahere, & Gallorum animos tentare, & ad defectionem ſollicitare comperiſſet, eò ſubitò cum exercitu accurrit. Munitiſſimus tum erat Geſſoriacus locus: quam quum *Carauſius* obtineret, mareque ad commeatus inferendos apertum, & in poteſtate haberet, facile ille obſidionem omnem terreſtrem contempſit. *Conſtantius* verò ludibrium illud non tulit. Ingens igitur opus aggreditur: portus os ingentibus defixis arboribus, aggeſtaque arena & cæſpite inducto, paucis diebus, ſæuiente quamuis pelago, & ipſo *Carauſio* in opera

dies

dies noctesque pugnante obstruit. *Carausius* immensi operis nouitate attonitus, nec, erepto jam mare, nisi nubibus vrbis vltrà fidendum esse ratus, nocte intempesta per intermissas stationes cum fidissimis quibusque suorum elapsus profugit, & naugio receptus in Britanniam ad exercitum & classem venit. Quam suam temeritatem ipse paulò post acerrimè damnauit: quum postero, quam inde abiisset, die, aggerem fluctibus dissolutum corruisse inaudisset.

Cap. 5.

De Francis.

Dixi superiùs Imperatorem *Probum* Francos à suis sedibus ad Pontum Euxinum transtulisse. Hii Franci cum Getis aliisque Scytharum (quibus hostes à *Probo* destinati fuerant) populis, seu fœderum, seu morum similitudine sociati, incredibilem statim classem per Bosphorum Thracium in omne mare mediterraneum immiserunt, omnesque maris illius oras, Hispaniam vsque & Africum & columnas *Herculis*, latrociniis suis infestabant; nulla vt insula, nulla vrbs, nulla regio, quæ modo mare spectaret, ab eorum direptionibus tuta esse posset. Ipsas etiam in Sicilia Syracusas in itinere occuparunt, & incenderunt; quibus gestis, Columnis egressi omnia in aduerso Africæ & Hispaniæ littore fœdum in modum deprædabantur, spoliisque onusti, nemine interpellante, in Pontum ad suos redierunt. Cum hiis *Carausius* tot cœli regionibus disjunctis societatem & fœdus iniit. Itaque Franci (horum enim jam, non Getarum aut Scytharum, nomen in ore hominum esse cœperat) ne fœdere rato suo decesserit, cum pari qua priùs classe egressi

Carausii cum Francis consociatio.

egressi ad fretum Gaditanum veniunt; id vnum agentes vt *Carausio* jungerentur. Haud aliàs tantus terrarum orbem circumstetit terror; apparebat enim nihil à piratica ista conjuratione tutum fore, quà nauibus pateret accessus. Itaque intermissæ toto mari mercatorum & negotiatorum nauigationes. Quùm si æstate vela facerent, in hostium omnia loca classibus occupantium potestatem veniendum esset: sin hieme, venti & tempestates imminerent. E duobus tamen satiùs visum, hiemi quantumuis sæuienti fidere, quam aduersùs barbaros æstiuo cœlo periclitari. Nec dubium erat quin si *Carausius* & Franci in vnam classem coiissent, insigne aliquod damnum Romano Imperio illaturi essent. Maturandum igitur *Constantius* ratus, mille nauium classem à *Maximino* ad Rhenum, vt diximus, constructam accepit; aliasq; quàm potuit plurimas naues contraxit, & nouas insuper festinato opere exstruxit. Quibus fretus omnes per Britanniam, Galliam, Hispaniam, ad Gades vsque, portus occupauit; nusquam vt *Carausio*, copias suas nauales in vnum corpus contrahendi, nedùm cum Francis coeundi facultatem relinqueret. Quibus sic dispositis ipse cum validissima copiarum suarum parte Francis extra fretum Gaditanum incredibili celeritate occurrit, leuiaque cum nouis istis in Oceano aduenis certamina, quibus vires eorum pertentaret, contraxit. Mox verò cum vniuersa classe congressus, internecino prælio sic deleuit, nunquam vt deinceps Francorum nomẽ in regione Pontica, vnde tum veniebant, auditum

auditum fuerit; vir omni ævo memorabilis; qui vno prœlio mare hoc exterum pacauit, & terrarum orbi pacem & ſecuritatem reddidit.

Cap. 6. *Conſtantii cum Pompeio magno comparatio.*

Nihil vnquam *Pompeio* Magno majorem vel gratiam vel gloriam peperit, quam quod interius illud mare latrociniis perpurgâſſet. Ingens enim videbatur res vnum virum totum illum ſinum maris conſilio primùm atque animo, deindè virtute & claſſibus complecti: nec aliter quidem quam videbatur erat res. Sed mare tamen Mediterraneum ſuis finibus, latis quidem illis, veruntamen finibus continetur. Quantulum verò hoc, ſi ad Oceanum comparetur? cujus omnia per Britanniam, Hiberniam, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, cum inſulis vel interjectis, vel adjacentibus loca claſſibus *Conſtantio* complenda erant. Facilè autem erat *Pompeio*, vel ipſo imperio, & nominis Romani fulgore piratarum & latronum oculos perſtringere; *Conſtantio* verò non authoritate, ſed virtute tota conficienda res erat. *Pompeius* piratas nec opinantes ita indagine cinxit, & in ſuo quemque portu, vt feras in ſpeluncis aut caueis, concluſit, nuſquam vt ſe ad prœlium commouere poſſent. *Conſtantius* & hoc ipſum contra *Carauſium* pari conſilio & celeritate præſtitit, & Francos inſuper ex alio veluti orbe venientes, aperto Oceano nactus, non cum clade repreſſit, ſed funditus deleuit, vaſtique hujus Oceani dominium, quod *Caligula* inepto, *Claudius* parùm juſto titulo occupauerat, populo Romano ipſo jure vindicauit: verè vt ab *Eumene* in Panegyrico ei dictum fuerit, *addi-*

diſſe

diſſe eum imperio terris omnibus majus elementum. Sublatis Francis rediit in Galliam *Conſtantius*, indè cum copiis terreſtribus aduersùs *Carauſium* in Britanniam tranſmiſſurus.

Dum hæc parantur *Carauſius* ab *Allecto* ſa- Cap. 7.
miliari ſuo indignè trucidatus periit, ipſeque *Allectus*, nullo laudis genere cum *Carauſio* comparandus, purpuram illi detractam ſibi induit. Quumque compertum haberet *Conſtantium* ad Sequanæ fluminis oſtium ſtare, ipſe claſſem ſuam ad Vectem Inſulam tenuit; certus prælio nauali confligere, ſi copia congrediendi fieret. Nec *Conſtantio* quamcunq; pugnæ conditionem detrectare in animo erat; ſed fortè accidit, vt ſuborta tempore matutino nebula, neutra claſsis in alterius conſpectum veniret; terramq; *Conſtantius* in Britannia priùs caperet, quam *Allectus* eum mare ingreſſum fuiſſe ſat certò ſciret. *Conſtantius* expoſito in terram milite claſsi ignem ſubjecit. Illo argumento militi denuntians ſpem reditus niſi victoribus eſſe interclusam. *Allectus* quum *Conſtantium* terram cepiſſe accepiſſet, properè & ipſe terram repetit, declinanſque à *Conſtantio*, cujus virtutem horrebat, cum *Aſclepiodato* ejus Legato congreditur. Sed quum primo ſtatim congreſſu ruere circa ſe omnia animaduertiſſet, abjecta quam temerè ſumpſerat purpura, & capite, ne agnoſceretur, obuoluto, vltrò in tela hoſtiũ ruit & occubuit. *Conſtantius*, ſumma poſt duplicem victoriam moderatione vſus, in nullius prouincialium vel corpus, vel fortunas ſæuiit. *Carauſii cædes.*

Cap.8. Sed redeo ad *Diocleſianum*. Hic ab initio ſtatim, quum Imperii molem majorem eſſe præuidiſſet, quam vt vnis humeris ſuſtineri poſſet, conſortem ſibi *Maximianum* adiciuit, & *Auguſtum* appellauit. Hii rursùs ſuum vterque Cæſarem, alter illum quem diximus *Conſtantium*, *Flauii Claudii* nepotem, & *Conſtantini* Magni patrem, alter *Galerium* dixit. Quumq; totos viginti annos Imperium tenuiſſent, poſita purpura Imperio ſe & Auguſtali titulo abdicarunt, rerum poteſtate *Conſtantio* & *Galerio*, non jam Cæſaribus, ſed Auguſtis permiſſa. Quod eo mirabilius in *Maximiano* videri poteſt, quod *Maxentium* filium tum habebat, quem Imperii vel conſortem aſſumere, vel hæredem relinquere potuiſſet: Sed vt videtur Imperii charitatẽ paterno amori prætulit. *Conſtantius* igitur & *Galerius* terrarũ orbem inter ſe partiti, ille Italiam, Africã, Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, &, qua Rheno contigua erat, Germaniam; hic Græciam, Illyricum, Aſiam & Ægyptum, cum vltrà-Danubiana regione omni, obtinebat. *Conſtantius* verò homo frugi quum eſſet, ne plus agri poſſideret, quam colere poſſet, Italiam & Africam depoſuit. *Galerius* autem terras illas pro derelictis à *Conſtantio* habitas *Severo* filio ſuo natu majori, Aſiam verò omnem *Maximino* minori tradidit. Ipſe veluti mundi arbiter in Illyrico ſedem fixit, vt altera quaſi manu Aſiam & Orientem, altera Italiam & Occidentem contingeret. Interim Prætoriani *Maxentium Maximiani* filium Imperatorem Romæ ſalutant. Accurrit igitur veluti ad nouũ incendium

incendium restinguendum *Seuerus*, qui Italiam à patre prouinciam acceperat. Sed ab exercitu suo destitutus Rauennam fugit. Vbi percussoribus à *Maxentio* immissis, confoditur. Deindè *Maximianus* pater, *Maxentium* filiũ tollere, & Imperiũ quod deposuerat resumere optat. Sed spe dejectus in Galliam ad *Constantinum* nuper *Constantii* defuncti filium, suum generum, profugit. Agit cum filia, vt *Constantino* marito insidias struat: illa, vxor quam filia melior, rem marito aperit. *Constantinus* socerum tanquam sceleris manifesti reum occidi jubet. Indè in Italiam ad *Maxentium* debellandum transit, eumque ad Miluium pontem super Tiberim nactus acie vicit. *Maxentius* dum pontem transit in Tiberim lapsus mergitur. *Licinius* sororem *Constantini* vxorem duxerat, aduersus quem *Maximinus Galerii* filiorum alter, qui Asiam & Orientem tenuit, mouens, in itinere subito morbo correptus periit; alii ferro periisse tradunt. *Maximiani cædes.* *Maxentii mors.*

Restabant jam duo (*Galerius* enim suo fato interim decesserat) *Constantinus* & *Licinius*, quibus de rerum summa contendentibus, quum, diuiso inter se terrarum orbis Imperio, alter Orientem, Occidentem alter possideret, Hellespontus interfluens maritimis prælijs & causam & locum præbuit. *Licinius* tamen præter Asiam, aliquantulam in Europa Thraciæ partem, vrbeique Adrianopolim & Byzantium occupauerat. Qua re cognita *Constantinus* ad Thessalonicam (quæ *Saloniche* nunc est) in intimo sinus Thermaici recessu positam cùm Cap. 9. *Pugna naualis ad Hellespontum.*

cùm exercitu venit; vbi locum non inoportunum nactus, portum tumultuario opere extruxit. Quumque animaduertisset, quanti momenti res futura esset, si medium Europam inter & Asiam fretum prior occupâsset, classem ex tota Græcia, Dalmatiaque & Illyrico contractam ad Pyræum in Attica conuenire iussit. Conueniunt naues bellicæ triecõteris non maiores ducentæ; onerariæ, quæ rostris appositis bellicarũ vice fungi possint, bina millia. *Licinius* veritus ne Propontide, Bosphoroque & Hellesponto ab hoste occupatis, ab exercitibus suis, quas validissimas in Asia habuit, excluderetur, classem & ipse adornare instituit. Itaq; ex toto Oriente classem ciet. Triremes octoginta Ægyptus, totidemque Phœnicia apprimè instructas mittit: Dorienses & Iones qui Asiam incolebant, sexaginta, Cyprii triginta, Cares viginti, Bythini triginta, Africani quinquaginta suppeditabant. Hanc classem *Licinius* magna celeritate confecit. Moram pugnæ attulit, quod eodem tempore *Rausimodus* (Sauromatarum Europæorum, hoc est, Scytharũ Transistranorum, siue Getarum, Rex) Istro transmisso, siue suo nomine *Constantino* hostis, siue *Licinio* fauens, *Constantinum* ab incœpto nauali reuocabat. Itaque in *Rausimodum* mouens *Constantinus* eum primo impetu auertit: ille Istrum fuga repetit; premit fugientis vestigia *Constantinus*. Quumque Istrum transgressum comperisset, contractis lintribus flumen & ipse trajicit. Ibi ferum & atrox prœlium committitur: Sed victoria, cæso *Rausimodo*, cum ingenti captiuorum

Constantini classis.

Classis Licianus.

tiuorum numero *Conſtantino* ceſſit: qui Theſſalonicem reuerſus claſſi, vt à Piræo ad Helleſpontum veniret, mandat. Ibi Dux Licinianus *Abantus* cum ſua claſſe ſtabat. Nauarchi Conſtantiniani, habita loci ratione, octoginta tantùm naues, non triremes, vt temerè *Sigonius*, ſed triginta remorũ fingulas in prælium educunt. Non enim fretum illud majorem ad dimicandum numerum capiebat. *Licinius* nauium cùm genere tùm numero longè ſuperior apparebat. Claſſem enim ſecum ducentarum nauium verè triremium, hoc eſt, ſi cum Conſtantinianis conferantur, triplo majorem traxit. Sed quantò cæteris omnibus ſuperior, tantò arte & conſilio impar erat; ſolaque nauium multitudine ſuperbus, cæterorũ immemor, incompoſita, & in nullam formam directa claſſe, ſed vt mole præualens, & veluti vmbone hoſtẽ propulſurus, in Conſtantinianas irruit; Conſtantiniani locorum anguſtiis freti, denſatis ordinibus, & compoſiti venientes exceperunt; id modo cauentes, ne primo ſtatim congreſſu loco moti propellerentur. Eratque hæc pugna prælio ad Eubæam juxta poſitam inter Athenienſes & Perſas olim commiſſo perquam ſimilis. Vbi verò Conſtantiniani primos conatus hoſtium magna virtute, & immoti excepiſſent, toto ſtatim corpore in Claſſem Licinianam ſe inſinuabant, extraque fretum progreſſi territis inſtabant, ſtipatoſque alteros in alteros agebant, & nunc in latera, nunc in puppes incurrendo, modo ſingulas carpebant, modo in confertas & impeditas vim inferebant, nec à conſternatis

diſiectiſque, ne circumuenirentur, vllas jam ampliùs reſtabat metus; ſed velut in aperto deprenſos campo liberè incurrebant. Veruntamen *Abantus* tot aduerſæ pugnæ incommoda tota die fortiſſimo animo ſuſtinuit, reſtituitque ſæpe, ſuis à fuga reuocatis, prælium; ſaltèm vt victæ potiùs quam fugatæ Claſſis Licinianæ decus hoſti relinqueret. Nox pugnantibus ſuperuenit: Conſtantiniani ad Eleuntem, portum extra fretum Græciam versùs poſitum, redierunt, vt cum reliqua claſſe conjungerentur: *Abantus* ad Æantium, vrbem intra fretum versùs Byzantium ſitam, ſe recepit. Poſtero die *Abantus* veluti rursùs pugnaturus claſſem educit; ſed quum fauces vacuas reperiſſet, ex ſpeculatoribus verò compertum haberet, Claſſem hoſtilem triginta nauibus auctiorem in vicino ad Eleuntem ſtare, dubiùs animi, hoſtémne quæreret, an ipſo loco quo pridie pugnatum fuerat operiretur, ſubſtitit. Dum dubitat, fera tempeſtas à Cauro ingruit, totamque ejus claſſem in vicinum Aſiæ littus, non procul Lampſaco ejecit; in quo naufragio centũ & triginta naues cum apparatu omni, & vniuerſo ſuo milite deſideratæ ſunt. *Abantus* tempeſtate elapſus cum quatuor tantùm nauiculis in Aſiam ſe recepit; eodem & *Licinius* à Byzantio, vbi à *Conſtantino* obſidebatur, per cuſtodias elapſus, properè venit, vt res quà prælio nauali, quà naufragio afflictas reſtitueret. Qua re intellecta *Conſtantinus* exercitum claſſi imponit, & fœlici curſu Chalcedonem tenuit. Vndè claſſis partem ad Byzantium maritima etiam

etiam obſidione arctiùs claudendum remiſit, ſeque ad terreſtre cum *Licinio* prælium de vniuerſo imperio conſerendum parat: nec *Licinius* longam pugnæ moram fecit; inter Chalcedonem & antiquum *Iunonis* fanum, ad ipſum Boſphori Thracii os poſitum, æquo campo concurritur: ibi non prælio ſed bello victus *Licinius*, centum ſuorum millibus amiſſis, ex acie fugit, ſed paulò pòſt vinus in *Conſtantini* manus venit. Itaque vt prælii naualis fortunam terreſtre, ſic terreſtrem hanc pugnam Byzantij deditio ſequuta eſt. *Licinius* vitam pauliſper Theſſalonicæ retinuit. Sed quum periculoſa imperio res videretur ſuperſtitem eſſe qui imperâſſet, paucis pòſt diebus, juſſu *Conſtantini* è medio tollitur. Inde *Conſtantinus* ſolus Imperium Romanum tenuit. Salue *Conſtantine*, Victorũ maxime. Salue ô Prime *Religionis Chriſtianæ* in terris Vindex. Hac enim tu victoria fretus poſt 324 ſeruitutis, qua tenebatur annos, jus ei & libertatem nullo vnquam ſæculo minuendam, reſtituiſti. *Licinii mors.*

Conſtantinus, rebus in Aſia conſtitutis, Byzantium redit; Byzantini victorem vltrò receperunt: deditos ille, (nec cauſa ſæuiendi erat) clementer accepit: vrbis deinde ſitum quum attentiùs conſiderâſſet, dignam eſſe cenſuit in qua alteram Imperii Romani ſedem figeret: Itaque binûm ferè millium ſpatium muro complexus veteri vrbi addidit, totamque Iſthmum (quam Cherſoneſum vocabant) ædificiis quà priuatis, quà publicis expleuit. Antè omnia portus & naualia (omiſſa Theſſalonica) ſumma Cap. 10. *Byzantii ampliatio.*

cura inſtruxit. Porticus etiã & fora,& fornices, Circoſque, & Baſilicas, & templa, & Palatium veteri illi Romano par extruxit. Quin & incolas non ex plebe modò Romana ad habitandum, verumetiam ex Senatoribus ad nouam vrbem, vel conſiliis firmandum, vel ſplendore ſuo decorandum,dedit. Veterum etiam ſigna,& Deorum Heroumue ſimulacra, quæ vrbi ornamento quiuiſmodo eſſe videbantur, non ſuſtulit, ſed leuitèr immutata ad Chriſtianæ religionis & melioris hiſtoriæ ſignificationem tranſtulit. Quibus rebus effectum eſt, vt ingens hominum multitudo eò certatim confluerent, & ſuas ibidem ſedes collocarent, dum alii militiæ, alii mercaturæ, alii artium & diſciplinarum, alii aliorum negotiorum cauſa, relictis ſuis ſedibus eò demigrarent. Vnde breui tempore effectum eſt, vt muris longè capacioribus, quam eſſent ii quos *Conſtantinus* ſtruxit, clauderetur. Magna etiam vicini maris pars vrbi acceſſit, defixis vndique palis, & ædificiis in eos impoſitis, quæ ſeorſim ſumptæ,ad amplam vrbem conſtituendam ſatis fore viderentur. Cujus rei, loci ipſius ratio admonebat, illius præſertim, qui *Ceras*, ſiue *Cornu* dicebatur. Erat autem Cornu ſinus quidam maris, ſexaginta penè ſtadiis ad occaſum extenſus, cornui non ſimplici, ſed ceruino, vt author eſt *Strabo*, ſimilis: vtpotè, qui in plures ſinulos, veluti ramos quoſdam ſcinditur; Quod omne ſolum, quum vadoſum eſſet, ædibus inædificandis facile ſe & oportunum præbuit. Vrbem verò ipſam Conſtantinus à ſuo nomine *Conſtantinopolim* appellauit.

Ceras.

Conſtantinopolis.

Mortuus

Mortuus deinde eſt *Conſtantinus*,& Conſtan- Cap.11.
tinopoli ſepultus. Imperium verò tribus filiis, *Conſtantio*, *Conſtanti* & *Conſtantino*, per omnia diſcordibus, nec eandem vel regendi, vel credendi rationem tenentibus reliquit. Sub quorum imperiis nihil, ad mare quod ſpectet, memoratu dignum referre habeo, niſi illud fortaſſe quod *Conſtantius* obeliſcum è Thebaide *Obeliſcus.*
in Ægypto Romam conuehendum curauit. Eſt autem obeliſcus aſperrimus, vt tradunt, lapis, in figuram metæ cujuſdam ſenſim ad proceritatem immenſam conſurgens, & ab imo ad ſummum ſpecie quadrata gracileſcens & manu artificis leuigatus, formarum autem innumeras notas, quas Hieroglyphicas vocabant, deſcriptas habens. Id autem inter Obeliſcum & Pyramidem intererat, quod ille vno lapide, hic variorum ſtructura conſtabat, multorumque ſæpè jugerum, *Herodoto* authore, baſim habuit. Vtrumque verò genus ſub formis Hieroglyphicis initialis ſapientiæ tabulas continebat. E quibus & *Pythagoram* primùm, & poſt illum *Platonem* philoſophiam ſuã hauſiſſe refert Iamlichus.

Mortuis deinde ſine proſe *Conſtantini* liberis Cap.12.
ſucceſſit *Julianus*; Imperator ille, quam vir, *Julianus.*
melior. Et infinitas ille quidem pugnas cum hoſte conſeruit, varias etiam victorias cum ſumma laude reportauit, ſed terreſtres omnes; Perſidem deinde ex Gallia peraturus, cum ad Rhætos, vbi Danubius fluuius ortum capit, terreſtri itinere veniſſet, ſtructa ibi claſſe fluuiatili ſecundo flumine in Thraciam deſcendit. Inde

Conſtanti-

Conſtantinopolim originis ſuæ locum venit. Ibi portũ nouum, ſed cæteris ad id tempus extructis longè ampliorem versùs Auſtrum extruxit, & ipſi vrbi ad inſtar *Romæ Veteris* Senatus habendi jus dedit, vt author eſt *Zozimus*. Inde æmulatio inter duas vrbes nata, & Conſtantinopolis *Roma Noua* appellari cœpta.

Roma Noua.

Quibus ſic peractis feſtinato itinere Perſidẽ petit. Vbi ad Euphratem peruenisſet, claſſem rursùs fluuiatilem, qua ſæpè ad varios fluuii illius mæandros, Trigridiſque vortices ſuperandos vſurus eſſet, confecit. Ea ſexcentis ligneis, quingentis è corio ſutilibus conſtabat, & iis addebat ſexaginta bellicas trieconteras; & latiores alias ad pontes jungendos; vt, vbi vellet, rapidiſſimos paritèr, & latiſſimos fluuios vno impetu tranſmitteret. Sequebatur deindè infinita nauium vis, quæ annonam & forum, & machinas deferrent, quibus omnibus duos, vt juſtæ claſſi, Nauarchos *Lucianum* & *Conſtantium* præfecit. Vbi verò & Tigrim tranſiſſet, quandoquidem in Mediterranea Aſſyriæ penetrandum erat, vniuerſam claſſem incendi juſſit, exceptis viginti duabus nauibus, quas ad emergentes caſus vehiculis impoſitas ſeruari, & inter impedimenta exercitum ſequi juſſit.

Cap. 13. *Iouianus.*

Mortuo verò mox *Juliano* ſucceſſit *Iouianus*; vtilis Eccleſiæ, ſed damnoſus Imperio habitus Imperator: ſi tamen ille Eccleſiæ vtilis appellari debeat, qui ſtatim Imperator ab exercitu ſalutatus, turpem illam & flagitioſam cum hoſte pacem iniit, qua totas quinque regiones Tranſtigritanas, præter tres vrbes Niſibin, Singarum, &

& Caſtra Maurorum, quæ à *Pompeii* Magni vſque temporibus firmiſſima ſemper Imperii Romani propugnacula fuerant, & in illis, tot fidelisſimorum Chriſtianorum millia, qui ſuis opibus, viribus, manibus, ſe contra Perſas defendere parabant, immani hoſti nunquam deinceps recuperandas dedidit. *Iouiano* verò infra octauum ab Imperio ſuſcepto menſem, ſeu caſu, ſeu crapula, (erat enim helluonum maximus) defuncto, imperare cœpit *Valentinianus*. Is conſortem Imperii ſibi adjunxit *Valentem* fratrem, bono quidem animo, ſed euentu triſti. *Valens* enim Imperium beneficio fratris adeptus Chriſti ſtatim fidem cum Arriana commutauit, ingentemque Chriſtianorum vim ſuſtulit. Inter alios memorabilis eſt illa octuaginta Sacerdotum Orthodoxorum in mari mors; quos quum *Valens* Conſtantinopoli publicè occidi imperâſſet, Præfectus vrbis, nomine *Modeſtus*, veritus ne ſi palàm in eos ſæuiretur, turbarum indè aliquid oriri poſſet, clàm cum Sacerdotibus agendum cenſuit. Imperatoris mandatum, fœdum, crudele, ſanguinolentum, exponit; monet, hortatur, ſuadet, vt fuga ſibi conſulere, vtque exilium voluntarium, quam mortem neceſſariam ſubire mallent; neue immerenti ſibi duram hanc electionem, vel triſte Imperatoris mandatum exequendi, vel miſerè pereundi, imponerent. Illi conditionem gratanter accipiunt: quis enim dubitaret? Quoniam verò res cunctationem non recipiebat; ideò ille nauem à ſe extra portus fauces clàm paratam oſtendit: illi ad eam veluti ad ſalutis ſuæ

Iouiani mors.

80 *Sacerdotum in mari martyrium.*

ſuæ portum confugiunt; ſciſciſque protenus retinaculis in altum velis remiſque properant. Vixque jam à conſpectu vrbis abrepti fuerant, quum Nauarchus mandata præfecti ſuis aperit, quidque faciendum ſit, edocet. Illi confeſtim, igne in imum nauis conjecto, in ſchapham, ad id à Nauarcho paratam, ſe ejiciunt; nauis ipſa flammis correpta ſubitò deflagrauit; quo incendio octuaginta illi Sacerdotes, dum confeſſorum laudem ambiunt, Martyrii coronam meruerunt, vt author eſt *Socrates*.

Cap. 14. Quo facto incidit ſtatim miranda illa rerum in mari, veluti tot innocentum cæde efferato, facies, qua vndæ marinæ ſuos paſſim fines egreſſæ cernebantur. Etenim, quaſi rursùm Deus vel nouum terris diluuium inducere, vel in antiquum chaos omnia reuocare paraſſet, naues vi fluctuum expulſæ, hîc tectorum, illîc montium, & quidem à littore longè diſitorum, ſummа occupant: aliæ in aperto mari velificantes, ſubitò vel aquis deſtitutæ in profundas valles ſubſidebant, vel extuberato ſolo in præruptis veluti montium jugis pependerunt. Vt mihi quidem ſeriò hæc cogitanti cum Pſalmiſta exclamare libeat, *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*. Hæc ad Alexandriam in Ægypto contigiſſe refert oculatus teſtis, & integerrimæ fidei author, *Ammianus Marcellinus*; eadem verò ad Epidaurum in Achaia ſub eodem tempore euenisſe memorat *Hieronymus* in vita *Hilarionis*. Quis igitur miretur, ſi vel vetus interdum anchora ſummis in montibus, vel procul à pelago conchæ marinæ terra incluſæ

Horrenda maris inundatio.

reperi-

reperiantur? Neque enim ſemel hæc, aut iterum, nec vno in loco, ſed ſæpiùs & diuerſis terrarum regionibus acciderunt. Nota eſt diſertiſſima illa & rerum ex omni hiſtoria repetitarum refertiſſima *Pythagoræ* apud *Naſonem* in decimo quinto *mutatarum formarum* libro de mirandis rerum conuerſiouibus oratio; in qua priſcis temporibus terram in mare, mare in terram, verſum fuiſſe memorat. Helicem & Burim, celebres olim in Achaia vrbes, nec longè ab illa quam diximus Epidauro poſitas, non alibi tum quam ſub aquis quærendas fuiſſe monet. Quid tota Ægyptus? quæ etiamnum à maris Arabici, à fluminis Nili, ab ipſo Mediterraneo & conſuetis ejus æſtibus vix defenditur? Quid ingens illa Inſula, quæ Atlantica olim dicebatur? non illa à *Platone* tantùm ex ſapientiſſimi *Solonis* libris commemorata, verumetiam ab ipſo *Homero* in ſua Odyſſeide celebrata, & extra columnas *Herculis* ad Occidentem poſita; Europæ nimirum aut Aſiæ par fuiſſe dicitur. Cujus tameu nihil jam, præterquam exiguæ quædam reliquiæ, ſeptem ſcilicet Canariæ Inſulæ, & Madera, & Azores, remanent. Quid? quod apud Batauos patrum noſtrorum memoria idem ciuitatibus quibuſdam, & ſexaginta vicis contigit, quod Helici & Buri, quod Inſulæ illi Atlanticæ contigiſſe diximus. Hæ verò tam ſtupendæ in mari mutationes, aut rarò, aut nunquam ſine infandis terræ motibus euenerunt. His enim tremoribus concuſſa tellus, vel in terra montes, vel in mari inſulas protruſit; aliiſq; viciſſim in locis completis

Atlantis.

completis cauernis ſubſidens, vrbes ſecum, & ciuitates traxit. *Valentiniano* verò defuncto, ſucceſſit in Occidente *Gratianus* filius: qui, *Valente* patruo mox à Gothis cæſo, vniuerſum in ſe ſuſcepit imperium. Sed ſe tantæ molì haud parem ſentiens, retento apud ſe *Valentiniano* fratre, puero nempè, nec per ætatem rebus adminiſtrandis adhuc idoneo, *Theodoſium* genere Hiſpanum, & magni nominis Ducem imperii ſocium adrogauit, & patrui *Valentis* loco Orienti præeſſe juſſit. Multas ille res ſumma virtute & fœlicitate, ante ſuſceptum Imperium geſſerat. Britannos ſe efferentes compreſſit, Scotos intra paludes & æſtuaria ſua tenuit. Batauos terreſtribus prælijs attriuit, Alemannos, Sarmatas, Mauros, profligauit. Sed inter omnes ſe effert laus illa ejus de Saxonibus in mari parta; quos ille prælijs naualibus non fregiſſe ſed *conſumſiſſe* à Latino Pacato in ſua ad ipſum Panegyri memoratur. Ex quo profectò intelligitur, Saxonas olim, & ante hæc tempora rebus naualibus multum valuiſſe, & ad magnam in mari potentiam & gloriam aſpiraſſe. Ni eſſet, non illi jam à tanto duce, tot in mari prælijs, ſuperandi, & conſumendi reſtitiſſent. Verùntamen quibus locis, copijs, artibus, ducibus, res tantæ geſtæ ſint (ſilente hiſtoria) ignoratur. Quamuis autem Saxonia victoriis, & Imperijs tum grauida abortum hoc caſu fecerat, reſumptis tamen paulò poſt viribus, quà ſuo, quà communi *Nortmannorum* nomine, latè illa ſe, per omnes terras claſſibus proiecta, mirabiliter propagauit, ſedeſque

Theodoſij geſta.

ſedeſque & regna in Britannia hac noſtra, in Gallia, diuerſiſque alijs mundi partibus conſtituit.

Sub hoc tempore homo quidam, *Moſis* nomine, in Cretam veniſſe dicitur, in qua inſula ingens tum Judæorum turba ſedes ſuas collocauerant. Is ſe à Deo miſſum ferebat, vt populum Judæorum per medium mare, nullo nauium miniſterio, ad *terram promiſſionis* veteris illius *Moſis* exemplo, reduceret. Neque verò gens ſuperſtitionibus dedita, & falſis prophetis ab antiquo auſcultare ſolita, ab hujuſmodi vocibus abhorrebat. Dies igitur annum ante ad proficiſcendum à *Moſe* iſto conſtituitur. Interim omnẽ rei familiaris augendæ curã non omiſſã, ſed abjectã cerneres. Dies verò ſtatuta quũ veniſſet, certatim Judæi omnes ad mare loco præſtituto veniunt. *Moſes* diuina monita & imperia præfatus, viã intrepidi vt ingrederentur, jubet; ceſſurum mare, viam per fluctus ad terram ſanctam, & patrum ſuorum ſepulchra pedibus mare ingreſſos inuenturos vaticinatur: nec illi dictis fidem abrogare. Itaque alij pedibus ingreſsi, alij è rupibus ſaltu ſe dantes, fluctibus hauſti miſerè perierunt. Aderant in vicino Chriſtiani nonnulli. Hii facti atrocitatem videntes, accurrunt: natantes, quos poſſunt, tollunt, alios prona cupidine in mortem ruentes vi tenent, alios ne prauo furore perditum ſe irent, monent: magna tamen pars fluctibus immerſa periit. Rem fabulæ, quam prodigio ſimiliorem me referre ſcio: Sed author *Socrates* omnẽ dubitandi rationem tollit. Enimuerò Cre-

Cap. 15.

Moſes Cretenſis.

Creta inſula omni ſæculo monſtrorum & mendaciorũ parens habita, nihil vnquam huic portento ſimile, aut ſuppar vidit. Ipſe verò *Moſes*, poſt ſedatam populi rabiem, vel ad notitiam, vel ad ſupplicium quæſitus, nuſquam inueniri potuit. Indè vulgò creditum Dæmonum aliquem, ſpecie humana toto anno obuerſatum, populum Iudaicum à Deo jam diù derelictum ſuis præſtigiis faſcinâſſe.

Cap. 15. *Gratianum* interim variæ diſtinebant curæ; jam primùm gentes ab Aquilone omnes Romanum imperium vno impetu inuaſerant. *Gratianus.* Quos ille partim ad Argentoratum, triginta Alemannorum millibus vno prælio ſuoque ductu cæſis, partim ad Iſtri ripam, Hunnis, gente tum noua, & hactenus Romanis auribus inaudita, per Legatos profligatis, ſatis fortiter & fœliciter repreſsit. Sed major eum, iſq; fatalis, *Clemens Maximus.* à *Clemente Maximo*, natione Hiſpano, ſed qui purpuram in Britannia induerat, circumſtetit terror. Omnes jam indè ab *Auguſto* Imperatores Romani vnà cum Imperii inſignibus ſtolam *Pontificatus inſignia* etiam Pontificalem & infulas acceperant. Hoc *Conſtantinus* magnus, hoc filii ejus, hoc *Jouianus*, hoc *Valentinianus Gratiani* pater fecerat. Quam ſtolam quum *Gratianus* ipſe, tanquam rem profanam & ethnicam, & Chriſtiano nomine indignam, à Flamine, vt mos erat, oblatam recuſaſſet, conuerſus Flamen obmurmurâſſe dicitur, *Quandoquidem hic Pontifex eſſe non vult Pontifex Maximus erit.* Vocem ambiguam & ab aſtantibus non intellectam res breui comprobauit. Cæſo enim *Gratiano*, *Maximus* imperiũ,

periũ, & cum eo Pontificatus insignia de more accepit. Enimuerò *Maximus* vnà cum *Theodosio* olim à *Valentiniano* ad res in Britannia componendas, & Nectaridii (qui tractus maritimi, vbi nunc quinque qui vocantur portus sunt, Comes & Custos erat) mortem à Pictis, Saxonibus, Attacottis, & Scottis illatam vindicandam missus, quum *Theodosium* paulò pòst Romam reuersum in imperii consortium à *Gratiano* acceptum fuisse percepisset, flagrans inuidia, imperium non delatum occupare statuit.

Hic est ille *Maximus*, qui Britanniæ huic nostræ vltimorum malorum causam dedit, dum non solùm Romanas Legiones omnes, verumetiam quicquid vel in iuuentute floris, vel in constante ætate roboris inesset, ad Armoricam in Gallia, nouis incolis frequentandam, abducit. Ex quo regio illa *Britannia minor* appellari cœpta est. Verùm quum Britanni sic abducti vxores sibi è gente sua peterent, *Maximus*, quot antè viros abstulerat, totidem nunc virgines ad connubia jungenda & genus in Armorica faciendum abducendas curauit. Fit igitur deportandarum virginum Londini conuentus. Inter quas præcipuæ nobilitatis & formæ *Vrsula* fuit, virgo optimis moribus, & religione Christiana instituta, *Dionici*, siue *Dioneti*, siue *Deonoti* Cornubiæ Regis filia, & *Conano* Armoricæ Regulo vxor à *Maximo* destinata; Hæ nauibus impositæ cum per Tamesim in apertum Oceanum euasissent, in piratas incidunt. Hos *Galfridus Assaffensis* nostrâs Hunnos fuisse ait. Hæc verò Hunnorum classis (si-

Cap. 17.

Britannia minor.

Vrsula virgo.

ue veri illi Hunni erant, siue Saxones & Franci aliique Oceani Germanici accolæ, & maritimi prædones qui hoc eodem tempore terra mariq; omnia infesta faciebant, & in Hunnorum, nouæ tum, vt dixi, sed inclytæ gentis, nomen transierant) *Gratiano* aduersùs *Maximum* nauabant operam. Itaque justam suam in has virgines siue iram, siue libidinem esse rati, vim parant. *Vrsula* verò non se castam seruasse contenta, cæteris etiam, vt pudicam mortem turpæ vitæ præferrent, autrix paritèr, & exemplum fuisse dicitur. Itaque quum barbari vim veneream intentarent, illæ pro se quæque jugulum præbuerunt; Quo viso Hunni à rabie ad rabiem, hoc est, à libidine ad iram versi omnes ferro mactatas in mare proturbarunt; & virginum cæde adhuc madentes in Britanniam, quam copiis omnibus à *Clemente Maximo* nuper exutam fuisse intellexerant, impetum fecerunt. *Maximus*, re cognita, duas eò confestim Legiones remisit; Hæ Hunnos ipso aduentu Britannia ejecerunt; sed quam promptè indè cesserunt, tam facilè digressi in Hiberniam appulerunt, paremque ibi stragem, vt latronum marinorum mos est, quacunque terram cèperant, intulerunt. *Vrsula* verò cum comitibus, pudicitiæ & Christianæ religionis laudibus omni æuo memorabilis, aliquot pòst sæcula, more tum Christianis inolito, in diuarum numerum, opinione hominum, relata fuit. Hæc ex Assaphensi nostrate recitare & referre malui, quam *Car. Sigonium* in libro decimo tertio occidentalis imperii historiæ sequi, vbi *Vrsulam* hanc cum

vndecim

vndecim millibus virginum Roma, quò limine Apoſtolorum ſcilicet ſalutatum juerant, redeuntes talia in flumine Rheno paſſas fuiſſe fabulatur. Neque enim iſte peregrè Romam proficiſcendi mos eò vſque hac ætate inualuerat. Nec quicquam à veri ſimilitudine tam abhorrens eſſe potuit, quam vndecim virginum millia, veluti exercitu facto, è Britannia Romam tam immenſo itinere petiiſſe: *Beda* verò rem totam omittit.

Sextum jam annum *Maximus* Imperium in Britannia & majori Galliarum parte tenuerat, quum *Gratianum*, clàm, palamuè, ſeu dolo, ſeu vi aperta, omninò tollendum eſſe ſtatuit. Itaque Lugdunum Gallorum cum exercitu profectus, *Gratianum* ibi ab exercitu ſuo deſertum Italiam curſu petere cognouit. Et mox à fuga retractum, immiſſo percuſſore *Andragathio* (quo & principe militiæ & ſcelerum miniſtro plurimùm vtebatur) è medio tolli juſſit. Quo nuncio territus *Valentinianus* frater, qui Aquileiæ tum agebat, cum matre *Juſtina* & ſorore *Galla*, trepidè profugit; nactuſque in vicino littore nauigium, cum ingenti fortunarum omnium & vitæ diſcrimine, Theſſalonicem tandem, tot maria emenſus, & tam longinquo itinere fatigatus, venit. Indè ad *Theodoſium*, qui Conſtantinopoli tum erat, Legatos miſit. Fratris cædem, *Maximi* tyranni in Italiam aduentum, Aquileiam occupatam, ſuam matriſq; fugam, pericula, miſeriam exponit; fraternæ cædis vindictam de *Maximo* ſumendam exigit; ſibi, matri, ſorori, perfugium, opem, auxilium, Cap. 18.

& afflictæ fortunæ ſubleuandæ petit. Quibus rebus intellectis, *Theodoſius* ipſe properè ad eum Theſſalonicem venit; bono animo eſſe jubet, claſſem parat, ſororem ejus *Gallam* vxorem cepit, ipſam, vt Romam cum claſſe petat, monet, ſe cum exercitu Aquileiam belli ſedem extemplò petiturum ſpondet.

Cap. 19. Dum hæc aguntur, prodiit quædam noua Scythiæ gens, Prothingi *Zozimo*, Grutingi *Claudiano* Poetæ, appellati: gens vtrouis nomine, ad illud tempus, Romanis inaudita. Hii quum, ſuis ſyluis & paludibus egreſſi, ad Iſtri fluminis ripam peruenifſent, tranſeundi copiam à *Promoto* Duce Romano, & limitis illius Comite ſibi dari petunt; ille negat; Hii vim parant, & ingentem nauigiorum copiã procul à ripa, ne conſilium ſuum ad hoſtis notitiam perferretur, ſtruunt. Res tamen ipſa, ſiue per transfugas, ſiue per ſpeculatores ad *Promotum* defertur. Ille confeſtim ripam fluminis, ne quis vel ſpeculator veniendo, vel transfuga abeundo falleret, diligentiſſimè obſeruari jubet, & vt hoſtium conatus frangeret, incredibilem & ipſe, quà lintrium, quà juſtarum nauium vim contrahit. Jamque de tempore, quo hoſtes tranſmittere ſtatuerant, per exploratores certior factus, primis tenebris claſſem omnem ad flumen deducit, aciemq; ex iis triplici nauium ordine latam, ad duûm millium & quingentorum paſſuum longitudinem, prora vnius ad alterius puppim, ſic vt nullus in medio hiatus relinqueretur, juncta, lateribus in hoſtem obuerſis, extendit. Has verò naues veluti vallum mi-

Prothingi à Promoto deleti.

lite

lite compleuit; aliam verò claſſem, quæ hoſtem medio flumine pugna exciperet, exteriùs collocauit. Nox erat illunis, & ad id ab hoſte delecta, ne inter trajiciendum conſpicerentur. Itaque nihil conſiliorum ſuorum ad Romanos delatum ſuſpicati, tertia vigilia primùm militem ſuum omnem, deinde conjuges etiam & liberos, ſeruoſque & impedimenta arctiùs in lintribus collocantes, vt in aduerſam ripam vno commeatu exituri, properabant. At Romani aduentum eorum ex pulſu remorum præſentientes, vbi appropinquaſſent, veluti ex inſidiis coorti, cum ingenti clamore impetum fecerunt. Barbari & ſpe ſua falſi, & cum tenebris, tum clamore hoſtium, & ſuorum ejulatibus conturbati & attoniti, hærebant. Sed nec ipſi Romani, quo ordine res gererent, ſatis intelligebant; verùm quum lintres hoſtium à ſuis impulſos ſubuerti ſenſerant, vbicunque clamor incidiſſet, eò naues ſuas dirigebant, & ſtragem, vt fors tulit, pro tempore inferebant; vbi verò jam illuxiſſet dies, tum & claſſis ipſa, quæ ad pugnã veluti ſtructa acies inſtructa acies hactenus ſtabat, ordineſq; ſeruabat, ſimul naues reliquæ, quas pro vallo antè immobiles juxta ripã ſtetiſſe diximus, quùm hoſtẽ toto flumine disjectũ animaduertiſſent, ſtationibus quæq; ſuis egreſſæ, impetum dederunt. Tum ferro res geri cæpta, nec vlla barbaris, vt qui nullam in nauibus firmitatem haberent, reſiſtendi ratio erat. Sed alii jugula vltrò præbuerunt, alii in flumen vel deturbati ſunt, vel ſponte ſua deſilierunt. Nec enatandi ſpes, inter tam confuſam

ſuorum & hoſtium nauium multitudinem ſu-
pererat. Itaque totum flumen, aut lintrium &
cadauerum ſtragibus & naufragiis inductũ la-
tuit, aut ſi quà patebat, ſanguine ibi non miſtũ
modò, verumetiam auctum apparebat. Tanta
autem fuit ex hac pugna ſtrages, vt *Zozimus*
rarò vnquam nauali prælio majorem editam fu-
iſſe prodat; idem & *Claudianus* Poeta facit,
regemque inſuper iis, quod *Zozimus* hiſtoricus
omiſerat, *Odothæum* fuiſſe, & in illa pugna pe-
riiſſe refert. Parta victoria, *Promotus Theodo-
ſium*, qui non longè aberat, ad hoſtium cædem
oculis fruendam vt veniret rogat: aduenit ille,
ſed, vt erat ingenii ad omnem humanitatem pro-
cliuis, barbarorum reliquias conſeruauit, ſuæ-
que militiæ aſcripſit, forti deinceps, & fideli eo-
rum opera ad *Maximum* Tyrannum debellan-
dum vſurus. Jam enim paratis omnibus *Theo-
doſius* Aquileiam terreſtri itinere, ſic vt promi-
ſerat, petiturus erat.

Cap. 20. *Maximus*, ne ſibi in tantis periculis deeſſet,
fauces montium, à Conſtantinopoli Aquileiam
per Illyricum ducentes, ab *Andragathio* occu-
pari & inſideri juſſerat. Sed quum tantam claſ-
ſem ad Theſſalonicen parari fama deferente
inaudiſſet, nihil cunctatus, quin ipſe *Theodo-
ſius*, terreſtri itinere omiſſo, claſſe in Italiam
appulſurus eſſet, *Andragathium*, relictis quas
occupauerat anguſtiis, ad mare properè deſcen-
dere, & contracta quanta poſſet claſſe, *Theodoſio*
in ipſo ſinus Adriatici ore vt occurreret, impe-
rauit. Id mandatum *Andragathius* ſumma cura
exequi parabat; & omne Corcyram inter &
Siciliam

Siciliam Italiamque ſpatium occupat; Omnes etiam portus, omnes ſinus, diſpoſitis per ſumma montium toto Epiri littore ſpeculis, ne qua tranſeundo falleret, obſeruat. Interim *Theodoſius* tota Pannoniæ, Mæſiæ, Macedoniæ, Illyrici, longitudine emenſa, quum præter ſpem clauſtra montium, quæ *Andragathius* reliquerat aperta reperiſſet; magno ſilentio Aquileiam venit. Quo tam repentino caſu perculſus *Maximus*, intra Aquileiæ mœnia ſe tenuit. Eum *Theodoſius* vt Tyrannum, & nefandæ cædis in *Gratianum* admiſſæ reum, ſi vrbem ſaluam eſſe, ſi viuere vellent, ſibi à ciuibus dedi poſtulat. Tota cum exercitu ciuitas imperata faciunt. *Theodoſius* deditum occidi jubet. *Andragathius* quum inſtructa claſſe *Theodoſium* in mare aliquot dies fruſtrà expectâſſet, jamque præter ſpem de ejus ad Aquileiam terreſtri itinere aduentu, captaque vrbe, & cæſo *Maximo*, nuntium accepiſſet, tot aduerſorum caſuum vno impetu incidentium imagine confuſus, ne viuus in *Theodoſii* poteſtatem veniret, ipſe ſe obuoluto capite præcipitem in mare dedit. Claſſis ſe *Theodoſio* dedidit. Ita *Valentinianus*, *Gratiani* frater natu junior, Imperio Occidentis virtute aliena reſtituitur, redditaque eſt *Gratiano* defuncto, beneficii, quod viuus in *Theodoſium* contulerat, cum fœnore ab eo cumulata merces.

Maximi tyranni cædes.

Andragathii mors.

Rebus verò in Occidente ſic conſtitutis, *Theodoſius* Conſtantinopolim redit, vbi ſe profundis voluptatum voraginibus immerſit. Erat enim hoc illi homini proprium, vt ſi res poſceret,

Cap. 21.

ſceret, nemo eum induſtria, vigiliis, laborum, æſtus, frigoris tolerantia vinceret; ſin remiſſæ bellorum contentiones eſſent, luxu & libidine nemini cederet. Et multa quidem ille millia Scytharum & Gothorum Tranſiſtranorum, quos Hunni ſuis ſedibus expulerant, in Thracia variis prælijs, ſed terreſtribus omnibus, nec ad rem præſentem pertinentibus concidit; Regem verò eorũ *Athanaricum*, ad ſe vltrò venientem, vt multo in honore habuit, ita in tantam ſui admirationem traxit, quantam ne *Salomon* quidem olim Sabæorum Reginæ de ſe feciſſe memoratur. Vires enim jam antè quum perſenſiſſet, nunc quo ordine res Imperatoris domeſticæ adminiſtrarentur, quantaque in veneratione apud ſuos eſſet, præſens quum conſpexiſſet, in eam vocem prorupit, qua Imperatorem Romanum verè *Deum terrenum* eſſe dixit. A quo forte initio inuidioſum illud, & Deo inuiſum Imperatores deinceps titulum vſurparunt, quo in omnibus ferè edictis *Numen ſuum & Diuinitatem* prædicabant. Nec ita multò pòſt, *Valentiniano* etiam ab *Eugenio* in Italia cæſo, rurſùs in Italiam cum exercitu venit *Theodoſius*; & *Eugenium* Tyrannum in faucibus Alpinis, duro, & cruento, ſed in omne æuum memorabili, prælio fudit & occidit; rebus verò deindè Romæ & in Occidente ordinatis, quum jam vniuerſum Imperium Romanum ſuis manibus teneret, dum Conſtantinopolim reuertitur, fato ceſſit.

Cap. 22. Decedens *Theodoſius* filios duos *Arcadium* & *Honorium* Imperii hæredes, illum Romæ, hunc Conſtanti-

Conſtantinopoli reliquit; Præfectos verò tres, rebus imperii ordinandis, *Ruſinum* in Oriente, *Gildonem* in Africa, *Stilieonem* in Occidente dedit. Prior *Gildo*, contempta *Honorii* ætate, (erat enim annis junior) Africæ imperium inuaſit; aduerſus quem *Maſtazelus Gildonis* frater operam *Honorio* pollicitus, & promiſſis inſuper à *Stilicone* oneratus, vnicam rei perficiendæ Legionem poſcit, cum qua in Africam tranſmiſit; *Gildo* octuaginta militum millia in armis habuit, quem tantum exercitum *Maſtazelus* tantillis copiis ſubnixus profligauit. *Gildo* ad mare fugit, vbi nauigio exceptus fuga ſalutem in Hiſpania quærere inſtituit. Sed tempeſtatibus reiectus, viuus in *Maſtazeli* poteſtatem venit. A quo, in liberorum priùs à *Gildone* cæſorum vindictam, nullo fraterni ſanguinis reſpectu cæditur. *Stilico* verò fruſtrà *Gildonem* ſublatum ratus, ſi *Ruſinus* rerum imperio in Oriente, ſub *Arcadii* vmbra, potiri pergeret, eum per *Gainem* fortiſſimum bello ducem, præſente & inſpectante *Arcadio*, interfici mandauit. Alii ipſius *Arcadii* juſſu factum ferunt. Vtrumuis rationē habet. Viuus enim *Ruſinus*, & *Stiliconis* luminibus officiebat, & aduerſus *Arcadiū* ſe non pro præfecto militiæ, ſed pro juſto Domino gerebat. *Gildone* verò & *Ruſino* ſublatis, *Stilico* natione Vandalus, ſed magno & acri ingenio præditus, hiis veluti gradibus viam ad imperium, ſed occultioribus conſiliis, munire cæpit. *Theodoſius* Scythas ſiue Gothos, ab Hunnis, vt diximus, ſedibus ſuis pulſos in fidem receperat, & ſedes in Thracia habendas dederat,

dederat, stipendiariosque imperio fecerat; eo consilio, vt eorum opera pro firmissimo aduersus Hunnos muro & propugnaculo vteretur. *Stilico*, post *Rufinum* cæsum, Constantinopolim venit, omnia ibi, vt priùs in Occidente, suo arbitrio moderaturus; idque sibi priuatim à *Theodosio*, dum adhuc in viuis ageret, in mandatis datum asserebat. Ibi primùm omnium cum *Arcadio* agit, vt Gothos confestim exautoraret. Viginti jam & quinque annos Gothi stipendia Romana summa fide meruerant, nec alium, quam quem Imperator dabat, militiæ Ducem habuerant. Jam verò hac tam insigni injuria lacessiti, sibi Regem *Alaricum* creant. Quo facto *Stilico* statim in Italiam redit, missis tamen priùs ad *Alaricum* nuntiis, qui illum è Thracia in Thessaliam, & inde per Thermopylarum claustra in Bæotiam, in Atticam & ipsam Peloponnesum traherent. Quibus rebus intellectis *Stilico* classe validissima parata in Epirum venit, nec quisquam jam erat, qui graue ibi prælium fore non existimaret. *Stilico* verò nihil ibi nisi prædas egit, planè vt omnibus appareret, res inter ipsum & *Alaricum* priuatis colloquiis & consiliis agi. Itaque nullo conserto prælio diuersi, hic in Thraciam, ille in Italiã, abeunt. *Alaricus* in Thraciam reuersus, ingenti contracto exercitu, per Noricos, qui nunc Bauari sunt, & Aquileiam & Venetorum regionem in Italiam descendit. Quam omnem, nusquam se mouente *Stilicone*, infandũ in modũ vastat, & ipsum Imperii Romani caput Romã petit. Jam inde fugerat *Honorius*, seque Ra-

uennæ

uennæ condiderat: Vbi, intellecta *Stiliconis* fraude, misit, qui eum è sacrario, quo confugerat, extractum jugularunt. *Stiliconis cædes.*

Interim Romam *Alaricus* obsidione premit. Quoniã verò eam fame quam vi capere malebat, ideò Portum vi aggreditur, & capit. Vbi quum vrbis annonam reperisset, eam se comminatus est incensurum, ni Romani imperata confestim facerent. Qua victi necessitate, portas Romani *Alarico* aperiunt. Ille ingressus cum exercitu, vt sanguini pepercit, ita bona fortunasq; ciuium exhausit. Incidit autem hæc Romæ strages in octauum *Honorii*, quadringentesimum verò & decimum secundum æræ Christianæ annum, primo mensis Aprilis die. *Roma ab Alarico capta.*

Hæc quí de *Stilicone* tradunt, illud etiam addunt, eum tam insignî perfidiæ animum adjecisse, vt filio *Eutherio* imperium conciliaret. Alii, in quibus *Zozimus*, eum falsis Olympii, (cui *Honorius* se jam totum regendum permiserat) criminationibus oppressum scribunt. Certè quum litteras de morte sua Rauenna allatas accepisset, ad Ecclesiam confugit: vndè extractus, quum concursu multitudinis periculo eximi potuisset, commotam ab incœpto deterruit, jugulumque vltrò scrientibus præbuit: post cujus mortem quũ infinita pœnè hominum vis tormentis subjiceretur, vt de *Stilicone* faterentur, nemo tamen vnus repertus fuit, è quo tantillum indicii exprimi vel extundi potuit. Ego post mille trecentorum ferè annorum spatium tantum virum tantisque honoribus per viginti tres annos in Imperio defunctum proditionis suspectum pro conuicto,

conuicto, quod plerique faciunt, ponere non audeo.

Cap. 23. Capta Roma *Alaricus*, ſeu contemptu *Honorii*, ſeu quod majus eſſe duceret Imperatorem facere quam eſſe, *Attalum* quendam Romani ſanguinis hominem, & Præfectum vrbis dudum ab *Honorio* conſtitutum, Imperatorem Romæ creat. Interim *Honorius*, quum tantis barbarorum exercitibus obſiſtere non poſſet, Rauennæ, vrbe & ſitu & operibus munitiſſima ſe tenuit, miſſiſque ad Arcadium fratrem Legatis, claſſem ab eo ad ſe mitti petit. *Attalus* Imperatoris titulo ſubnixus, in Africam miſit, qui jus ibi more Romano dicerent. Quam rem *Alaricus* vt importunè & contra mandata ſua geſtam adeò non improbauit modò, verumetiã indignè tulit, vt *Attalum* confeſtim, detractis imperii inſignibus, in ordinem redigeret, & ei *Athaulfum* conſanguinem ſuum ſubſtitueret. *Honorius* verò *Heraclianum* cum claſſe in Africam, ad judices ab *Attalo* conſtitutos deturbandos, miſit. Nec quietiores in Oriente res *Arcadio* erant, ubi *Gainas*, quo miniſtro Stiliconẽ in *Ruffino* tollendo vſum fuiſſe diximus, placido Imperatoris ingenio ad libidinem ſuam abutebatur; donec ad extremum, *Frajutus* quidam, natione barbarus, cultu Ethnicus, ſed conſilio pariter & militia bonus, Dux adverſus *Gainem* deſignatur. Is accepto exercitu nihil ad ſummam diligentiam reliqui fecit, quò *Gainem* terra marique profligatum tolleret. *Gaines* quum per Helleſpontum in Aſiam trajicere vellet, ut *Tribigildo* conſiliorum

Gaines.

Frajutus.

ſiliorum ſuorum conſorti jungeretur, ſed claſſem ad manum non haberet, cæſa è proxima ſylva materie, claſſem caudicariam extempore conſtruxit; rudem adeo, ut nec clavum, nec paxillum, nec remum, nec ſalmum haberet; ligna modò funibus vel reſtibus colligata homines & equos impoſitos, ferre poterant: ea verò ventis & fluctibus in Aſiam tum ferentibus temerè impellebãtur. Id videns *Frajutus*, qui omnia *Gainis* conſilia ſpeculabatur, cũ claſſe paulò expeditiore in prætereuntes inuehitur; atrox ibi cædes in hoſtem editur, nec vlla nauis ex claſſe *Gainis* euaſit: qua clade ſuorum perſpecta, *Gaines* retrò ad Thraciam flexit iter, vt Iſtro tranſmiſſo ad Hunnos ſe conferret. Inſequitur *Frajutus*, & extremũ agmen carpendo *Gainem* ad vniuerſæ pugnæ aleã deſcendere coegit; in qua cæſus eſt *Gaines*, & *Arcadius* ab imminenti periculo magno Dei beneficio liberatus.

Nec diù poſt ſuperfuit *Arcadius*, ei verò ſucceſſit *Theodoſius* filius, qui claſſem à patre paratam, *Honorio* patruo, Rauennæ tum agenti, cum quadraginta millium exercitu, nulla à morte patris interpoſita mora, miſit. Nihil ea re ad *Honorii* animum labentem jam, & fugæ conſilia agitantem confirmandum, aptiùs adueniſſe potuit. Quanquam ne ſic quidem vltrà confirmatus eſt, quam vt rerum in Africa ab *Heracliano* gerendarum exitum attenderet; vt ſi res ibi ex voto ſuccederent, exercitu ad pugnam, ſin aliter, claſſe ad fugam vteretur. *Alaricus* exhauſta Roma omnem deinceps Italiam Cap. 24.

liam victricibus armis peragrauit; vnde, cum Siciliam in conſpectu haberet, claſſem ad *Rhegium* conuenire juſſit, impoſitoque exercitu ſoluit, Meſſanam ex aduerſo poſitam petiturus. Nihil illo freto anguſtius: ſereno tamen cœlo quum ſoluiſſet, medio itinere, oborta tempeſtate, claſſem cum majore exercitus parte amiſit: quo veluti prodigio territus, mare deinceps abſtinuit, ſeque ad reliquã Italiam, ſi quid adhuc intacti reſtaret, populandam conuertit. Sed in ipſo conatu, Conſentiæ, validiſſima Calabriæ vrbe, quam multa vi expugnauerat, morbo correptus obiit; eique ſucceſſit *Athaulfus*, qui accepto ſtatim imperio omnia ferociter adminiſtrabat; nec aliud quam de tollendo Romano nomine, & vrbem ipſam pro Roma Gothiam, & Succeſſores ſuos pro *Auguſtis Athaulphos* appellando cogitabat. Sed *Placidiæ Honorii* ſororis, quam ex captiua vxorem fecerat, precibus delinitus, & conditionibus ſcribendis ab *Honorio* eluſus, præter omnium ſuorum votum & voluntatem, relicta Italia in Galliam primùm abiit; inde Hiſpaniam à Vandalis priùs occupatam petiit; Africam deinde, vt illam etiam prouinciam Romanis ereptam Hiſpaniæ adjungeret, petiturus. Sed *Heraclianus* ab *Honorio*, vt dixi, in Africam ad Iudices ab *Attalo* inſtitutos deturbandos miſſus, quum *Athaulphi* conſilia non ignoraret, in mare cum claſſe apparatiſſima deſcendit; ei *Athaulphus*, qui Bæticam, pulſis inde Vandalis, tum tenuit, cum pari nauigiorum numero occurrit. Fit prælium, in quo pulſis Athaulphianis *Heraclianus* inſignem

Pugna nauals.

victoriam

victoriam naualem reportauit. Gothi aduerſo prælio irati *Athaulphum* cum ſex liberis occidunt, pari fato & *Giſericu*, (quem *Oroſius Sigericum*, inuerſis paulò litteris appellat) *Athaulphi* ſucceſſor periit.

Sed enim *Heraclianus*, praua Imperii cupidine flagrans, victoriarum ſuarum fructum ab *Honorio* ad ſe vertit, Africæque primum tyrannidem inuaſit, dabatque operam ne frumentum inde aliuſue commeatus Romam, ſiue ex formula, ſiue Mercatorum opera, ſubmitteretur. Quare intellecta, *Honorius* eum perduellem & Imperii hoſtem declarauit: *Heraclianus*, verò contracta ter mille ſeptingentarũ nauium claſſe, & exercitu quantum tanta claſſis capere poſſet impoſito, in Italiam tanta celeritate tranſmiſit, vt omnem aduentus ſui non ſolùm nuntium, verumetiam rumorem præuerteret; populum ſcilicet Romanum, contempto *Honorio*, vltrò ſibi in occurſum proditurum ratus; nec eum planè fefellit opinio ſua: ſigno enim de claſſis peregrinæ appulſu è ſpeculis edito, & nuntio alio ſuper alium incidente, quidque & à quo pararetur cognito, tota quidem vrbs Romana portis ſuis effuſa, Duce *Marino* Comite, ei in ipſo littore occurrit, ſed armata. Acre ibi prælium committitur, dum hii terram capere, illi hoſtem deſcenſu prohibere contendunt. Ipſe *Heraclianus* in terram jam deſcenderat; & ad vrbem properabat; *Marinus* ſuos adhortatur, & *Heraclianum*, vt rebellem & perfidum voce increpitans, irruentem excipit. Quo tam inexpectato caſu perculſus *Heraclianus* retrò Cap. 25.

3700 *nauium claſſis*

greſſum

greſſum ad mare tulit, vbi onerariæ nauis ſchapha exceptus, Carthaginem reuertit; ibi militari manu, ne tantæ claſſi, tantoque exercitui, in fraudem & proditionem à ſe pellecto, ſolus ſupereſſet, confoditur. Claſſi ipſi, qua nulla major, ne Punicis quidem temporibus, mare illud nauigâſſe dicitur, quid aduenerit non traditur; tanta erat temporum illorum in maximi momenti rebus memoriæ tradendis, vel inſcitia, vel incuria.

Heraclianimors.

Cap. 26. *Athaulphum* & *Sigericum* Viſigothorum Reges à ſuis alterum poſt alterum ſublatos fuiſſe commemoraui; cauſa cædis illi fuit, quod, conditionibus ſcribendis ab *Honorio* eluſus, Italiæ, quam manu tenebat, poſſeſſione excidiſſet, ſedeſq; pouas in Gallia primùm, deinde in Hiſpania quæſiuiſſet, & infœlicì demũ prælio aduerſus *Heraclianũ* in mare pugnaſſet: Huic, quod bellũ contra *Honorium*, truſtrà ſuis tendentibus, mouere recuſaſſet. *Vallia* igitur qui *Sigerico* ſucceſſit, ne ad eundem lapidem impingeret, naues fabricare, inſtruere, ſocios nauales conquirere, exercere, totus denique in claſſe paranda eſſe; eo conſilio, vt exercitum ex Hiſpania in Africam aduerſus Romanos tranſmitteret; Itaque claſſe ingenti comparata mare ingreditur. Ea verò in freto Gaditano tempeſtatibus deprehenſa vniuerſa periit. Cladis magnitudo, vt alia re nulla, eo certè argumento conſtat, quod poſt naufragium Siculum, quo primo bello Punico bini Conſules cum treçentarum quinqueremium & ſexaginta millium exercitu, autore *Polybio*, perierunt, nihil æquè horrendum

Vallia Gothorum in Hiſpania Rex.

Ingens naufragiũ.

in

in mare contigiſſe, *Paulus Oroſius* Beato *Auguſtino* laudatus autor memorauerit. Quæ tanta clades Vandalos, qui ſe contra Gothos ægrè admodùm ab *Athaulphi* in Hiſpaniam ingreſſu tutati fuerant, rerum in ea terra ad tempus rurſus potentes fecit. Sed breuis ea Vandalorum potentia in Hiſpania fuit. Omiſſo enim mare Vallia, bellum in terram retulit, quo Vandalos aggreſſus, eos acie ſæpiùs profligauit, nec priùs deſtitit, quam ad ſedes nouas in Africa claſſibus quærendas eos adegiſſet. Nulla vnquam ætas tantum ſanguinis, lachrymarum, incendiorum vidit. Omnes enim gentes Boreales, Gothi, Alani, Vandali, Sueui, Burgundiones, Hunni, Angli, Franci, alii terra, mare alii tranſmiſſo, hii Oceano in Britanniam, illi Mediterraneo in Africam, ſedes nouas, nullo alieni, nullo ſui ſanguinis reſpectu, quærere inibant. Interim *Honorius* ſororem *Placidiam Valentiniani* primum Imperatoris, mox *Maximi* Tyranni, & ex tertiis demum nuptiis *Athaulphi* Regis relictam, *Conſtantio* Comiti, viro forti, & verè conſtanti, jamque in imperii conſortem à ſe aſcito, nuptam tradiderat. Iſque, vt Author eſt *Oroſius*, res multas magnaſque in Occidente aduerſus Imperii Romani hoſtes geſſit, innumeros Tyrannos paſſim in Europa & Africa ſe efferentes oppreſſit, res vt *Honorii* in tuto ab eo collocatæ viderentur. Eo verò non ita multò poſt morte prærepto, tanta confeſtim malorum moles *Honorium* circumſtetit, vt quo ſe primùm verteret in tantis difficultatibus conſtitutus miſer non inueniret. Addidit quin etiam ad- *Conſtantius Comes.*

uerſæ fortunæ culpam. Quicquid enim cauſæ erat, (nam nulla traditur) *Placidiam* ſororem, cum filio ejus *Valentiniano*, ex *Conſtantio* Comite ſuſcepto, & adhuc in cunis vagiente ejecit. Illa fugâ ſe cum filiolo ſuo ad *Theodoſium*, Conſtantinopoli tum agentẽ recepit; quo vt amita honorificè ſuſcepta, & multo in honore habita fuit; nec diù ſuperuixit *Honorius*. Anno enim ſequente, poſt tot exantlatos labores, ſuo tamen fato, obiit. Quo defuncto Imperium in Occidente arripuit quidã nomine *Johannes*: is accepto imperio claſſem in Africã, Duce *Caſtino*, ad *Bonifaciũ* Comitẽ debellandũ miſit; ſed fruſtrà. Interim *Theodoſius Valentinianũ Auguſtũ* in Occidente creat; eumque cum matre in Italiã cum claſſe & exercitu dimiſit. Venienti, cùm cæteræ vrbes, tum ipſa Roma portas cupidiſſimè aperuerunt. Sola Rauenna clauſas tenuit. Ea verò poſt aliquantulùm temporis, (reperta per paludes, quibus vrbs illa vndiq; claudebatur, via) capta eſt, & in ea *Johannes* Tyrannus; In quem crudelitèr *Valentinianus* ſæuiit. Deinde & *Aëtium*, poſt longè clariſſimã illã de *Attila* in agris Catalaunicis victoriam, falſis à *Maximo Patricio* criminationibus inſimulatum ſuſtulit; indignus *Aëtius* qui talia pateretur, niſi ipſe atrociora in *Bonifacium*, virum omni laude & præconio dignum, perpetrâſſet; Quæ res iſta ſe modo habuit.

Cap. 27. Duo erant ſub *Valentiniano* ſummi rerum moderatores, *Bonifacius* & *Aëtius*, è quibus *Bonifacius* Africam tenebat, ingentemque laudem & gloriam rebus geſtis comparabat; Quibus

Quibus rebus commotus *Aëtius* (qui omnia in aula poterat) Imperatori perſuaſit, *Bonifacium* res nouas in Africa moliri; indicio, inquit, fuerit, ſi eũ accerſiueris; non enim veniet. Extemplo mittuntur litteræ, quibus *Bonifacius* reuocatur. Interim *Aëtius* clàm alias litteras ad eum dat, quibus monet, vt ſibi ab Imperatore caueret; actũ enim de ejus vita & fortunis eſſe, ſi redierit. Itaque in tanto, vt putabat, periculo conſtitutus *Bonifacius*, primùm prouincia decedere juſſus recuſauit, deinde *Mauortium* & *Galbionem* Duces, cum claſſe & exercitu ad eum debellandum miſſos, in ipſo littore, dum terram capiunt, aggreſſus interfecit; quumque nullum innocentiæ perfugium in Imperatoris fide eſſe crederet, Vandalos denique ex Hiſpania in Africam vocauit. Illi contracta claſſe ſedes nouas quæſitum, qua fata vocabant, cum quinquaginta hominũ millibus vela faciunt, & Vandalicum Imperium, eluſo *Bonifacio*, per octoginta & ampliùs annos in ea terra duraturum conſtituunt. Interim *Valentinianus* de *Bonifacii* innocentia, prolatis *Aëtii* ad eum litteris, fit certior; quo cognito, à *Bonifacio* in *Aëtium* iram vertit. Et *Bonifacium* quidem ad ſe vltrò venientem quum comiter accepit, tum multo in honore habuit; *Aëtium* verò nunquam ex illo tempore æquis oculis aſpexit. Paulò verò pòſt aliorum inſuper ſcelerum, ſeu conuictum, ſeu à *Maximo* falsò inſimulatum tolli juſſit. Non ſum neſcius qua infamia: circumferturque argutulum hominis neſcio cujus dictum, qui Imperatori quid

ei de *Aëtii* morte videretur interroganti reſpondiſſe fertur, *Rectène an ſecùs Aëtius ſublatus ſit, tute ô Imperator videris; ego hoc tantùm ſcio, te læua dextram præcidiſſe tuam.* Sed hoc commune omnium Imperatorum & Regum eſt, vt eis in hujuſmodi periculis rarò credatur, niſi demùm occiſis.

Cap. 28. Sublato verò *Aëtio*, in quo plurimum ad barbaros repellendos momenti & virium eſſe videbatur, *Attilas* Hunnorum Rex, qui viuo *Aëtio* ſe mouere non audebat, cum quingentorum millium exercitu in Italiam deſcendit. In itinere Aquileiam longa obſidione fatigatam cepit. Quo velut obice perfracto, ruptiſque clathris, fera & agreſtis bellua Venetam primò regionem omnem depopulatur; mox tranſito Apennino non procul vrbe Roma caſtra facit. Ibi ad eum *Leo*, cjus nominis primus, Epiſcopus Romanus cum vniuerſo Senatu Legatus venit. *Leo* verba facit, vrbem dedit, vectigal promittit, tantùm ne vrbem ſuam jam deditione factam, vel deleret, vel deformaret, vel deditorum ſanguine inundaret, rogat. Effecit denique vir ad ſalutem illius vrbis natus, vt ferociſſimus alioqui Tyrannus, loquentem reueritus, ferociam poneret, & vrbi parceret. Veritus quinetiam *Attilas* ne ſi vrbem cum exercitu intraſſet, eam ab auari & barbari militis direptione tutam & integram præſtare non poſſet, ea non intacta modò, ſed nec inuiſa, retrò veſtigium flexit, & per regionem Venetam, qua venerat, in patriam ſuam, hoc eſt, in Hungariam, (ibi enim jam antè ſedes fixerat) remeauit.

Leo primus Legatus ad Attilam. venit.

uit. Incidit autem hæc *Attilæ* cum Hunnis ſuis in Italiam deſcenſus in annum Domini quadringenteſimum quinquageſimum ſecundum.

Cæterùm quoniam de regione Veneta mentio hoc primùm loco incidit, & præclariſſima Venetiarum ciuitas, circa hæc tempora, & hac occaſione initium cepit, multaque de ea, & maximè memorabilia in ſequenti hac hiſtoria dicenda venient, operæ pretium fuerit excedere paululùm ad enarrandum inclytæ vrbis originem, quæ temerè primùm & fortuitò incepta, ratione & conſilio ea poſt modũ incrementa cepit, vt cum præſtantiſſimis omnium gentium & ætatum vrbibus comparanda venerit, emporiis verò, (nec Tyrum, nec Carthaginem excipio) præferri debeat. Anno igitur ſalutis humanæ per verbum Dei incarnatum reparatæ quadringenteſimo decimo ſecundo, Gothos ſub *Alarico* Rege per Venetos in Italiam irrupiſſe, vaſtataque priùs circum jacente regione omni, Romam ipſam fame domitam cepiſſe ſuperiùs diximus. Nec ita multò poſt *Attilas* Hunnorum (gentis vltrà Mæotidem inter Tanaim & Volgam, quà nunc Ruſſi ſiue Moſchouitæ latè dominantur, poſitæ) Rex, in Pannoniam venit, indeque Auares vel expulit, vel, quod magis putem, leuitèr victos fœdere junxit; & ex vtraque, ſua nempè & illorum, gente, miſtum *Hungauariæ*, ſiue *Hungariæ* nomen regioni indidit. Vbi paululùm moratus recentorum millium exercitum ſecum trahens, per Germaniam, Danubii capite ad læuam relicto, ad Rhenum deſcendit; quo tranſito in

Cap. 29. *Venetiarum origo.*

Galliam penetrauit, & incampis demùm Catalaunicis, ab *Aëtio* Romano, & *Theodorico* Viſigothorũ, & *Merouco* Francorum Rege fuſus, in Hungariã rediit; bellũ deindè Italiæ, & ipſi vrbi, & Romano Imperio, quod apertè præ ſe ferebat, illaturus. Veneti igitur, qui ad intimum ſinus Adriatici angulum, à Troianis vſq; temporibus, *Antenore* conditore, habitauerant, memores quid ab *Alarico* Gotho in tranſitu pridẽ perpeſſi fuerant, & grauiora ſubindè à ferociore hoſte incommoda metuentes, conſilium ineunt terram, quam defendere non poſſent, relinquendi. Erant in conſpectu ſeptuaginta inſulæ, quarum præcipuæ erant, Caprulæ, Equitium, Metamaucum, Albula, Philiſtina, Foſſa Clodia, Turcellum, Maiorbium, Boreanum, Amianum, Conſtantianum, & Amorianum: Erant & minus nobiles, Caſtratia, Marcelliana, Caſtropuntium, Centenaria, Muſſiones, Vigilia, Barbaria, Brentillæ, Bæbiæ, Caput aggeris, & aliæ, velut minora in cœlo ſidera, nomine carentes inſulæ. Sed præ omnibus eminebat *Riuus altus*, qui nunc *Rialto* dicitur, totius vrbis arx & Capitolium ſuo tempore futurus. Hanc inſulam, quòd altiùs ab aquis extabat, nomen initio ſortitam fuiſſe non ambigitur. Cæteræ enim, magna pars, humiles adeò erant, & depreſſæ, vt, ſi ab alio, quam languentis planè maris fluctu alluerentur, facilè ſuperfundi potuiſſent. Enimuerò tumuli potiùs arenarum aggeſti, quam ſatis enatæ inſulæ dicendæ erant. Patauini igitur, Opitergini, Concordiæ, & Alſini aliatumque Venetæ ditionis vrbium & villarum

Rialto.

ciues,

ciues, paritèr & agreſtes, non quidem populariter, ſed vt ſuus quemque animus ferebat, in has inſulas, dum tempeſtas Hunnica deſæuiret, ſe tranſtulerant; ſex enim millibus à continente aberant: Æſtuario, nec terreſtri aciei peruio, nec nauigiorum aut vbiq;, aut ſemper patiente, clauſa; nec operæ moræue pretium Hunno fuerat, in inſolitudines illas refugos veluti piſces in vndis quærere. Ex hac turba non deerant, qui, quum loci ſitum & naturam attentiùs conſiderâſſent, ad majoris momenti rem & ipſi animos adjicerent, & ſociis ſignificarent: primùm enim tumulos illos, quamuis humiles pleroſque, firmos tamen omnes & ſubſtructionibus aptos eſſe oſtendebant; deindè ad duodecim millia verſus mare aquam breuem planè eſſe, & in ejus extremo aggerem aquis extantem, ſed ſpatiis interciſum, inſularum in morem ſurgere eumque fluctibus marinis, ſi quando violentiùs concitarentur, obſiſtentem, vniuerſam ſtationem interiorem quouis portu tutiorem reddere, monſtrabant. Deindè commercii facultatem, ad animum reuocabant. Nulla ope res humanas faciliùs & citiùs quàm maritima creſcere ſolere. Et cæteras quidem vrbes, eo ipſo quod maritimæ, hoc eſt, ad mare poſitæ ſint, lætari; ſic Carthaginem in Africa, Alexandriam in Ægypto, Marſiliam in Gallia, Syracuſas in Sicilia, Corinthum in Achaia, modò Conſtantinopolim in Thracia, & infinitas per orbem terrarum vrbes, eo ipſo diuites & fœlices factas, quod maritimarum nomine conſerentur: hanc verò ſedem, non ad mare, ſed in mare poſitam

cernere; Vnicam olim vrbeculam Tyrum non abſimilem ſitum habuiſſe; & eam quidem ad inuidendas planè opes breui tempore aſpirâſſe. Sed quantum tamen illam inter & iſtam eſſe? Quatuor illa ſtadiis à continente abeſſe; ſex iſtam millibus; Profundo illam mari, vt obſideri poſſet, cinctam, hanc æſtuario & breuibus inaccelſis conclusam eſſe. Quam igitur hic vrbem ſurrecturam ſperemus, inquiunt, ſi, relicta continente, res opeſque noſtras huc transferre in animum induxerimus? templa, turres, arces, fora, tribunalia, ſacerdotia, quicquid in ampliſſimis vrbibus ſplendidũ, quicquid magnificũ alibi vidimus, aut nos hic videbimus, aut certè noſtri viſuri, nobiſq; de nauata nunc opera, aut viuis, aut mortuis gratias acturi ſunt. Quin opus faunte numine aggredimur, & arborem alteri ſæculo profuturam manibus noſtris conſeramus; nec *Æneas* Romanis, quàm noſter ille *Antenor* ſuis aliquando Venetis, fœliciùs in Italiam appuliſſe exiſtimetur. Quæ res ſermonibus apud vulgus ſæpiùs agitata, & creſcens in dies Hunnici apparatus fama, eò profugos adegit, vt, de continente minimè ſolliciti, tuguria primùm ex vluis canniſque paluſtribus, quas ipſe locus magna copia ſuggerebat, in tumulis illis ſtruerent. Hunno deindè vniuerſam Italiam, & ipſam in primis regionem Venetam, vtpotè in ipſo ſtatim ab Aquileia limine & introitu Italiæ poſitam vaſtante, quum nihil illi interim injuriarum aut incommodi pertuliſſent, locum ipſum pluris quam anteà facere cœperunt. Quibus rebus perſpectis, ingens etiam

eorum

eorum, qui Aquileiæ cæteriſque in illo tractu vrbibus ab *Attila* recentèr dirutis ſuperfuerunt, eódem confluxit multitudo. Neque verò deſunt qui Venetiarum originem Aquileiæ ab *Attila* tum captæ & dirutæ ruinis acceptam referant; quod fieri, vt puto, ſat rectè non poteſt. Romam enim ab *Alarico* Gotho anno quadringenteſimo duodecimo, vel, vt alii volunt, ſupra quadringenteſimum decimo captam fuiſſe conſtat: Aquileiæ verò ab *Attila* excidium in tertium indè circitèr & quadrageſimum, nempè in annum quadringenteſimum quinquageſimum ſecundum tertiumuè, vt *Abrahamus Bucholcerus* in ſua Iſagoge Chronologica colligit, rejicitur. Venetiarum verò lux natalis ad *Antonio Coccio Sabellico*, rerum Venetarũ diligentiſſimo Scriptore, ad Calendas Aprilis Anno Domini quadringenteſimo viceſimo primo refertur. Id ſi ita eſt, potuit Venetiarũ vrbs triginta & eò ampliùs à natiuitate ſua annis ante *Attile* in Italiã aduentũ mediocritèr adoleuiſſe, nedũ originẽ ſuã ad Aquileiæ excidiũ referre debet. Quicquid autẽ de vrbis natali ſtatuendum ſit, (fetui enim tam temerè concepto, certum & legitimum naſcendi diem difficile eſt tribuere) illud haud ambigitur, venetiarum ciues ortum & originem ſuam *Patauio*, Troianæ, quam Aquileiæ, Romanæ coloniæ libentiùs aſcribere. Ab hiis igitur initiis paulatim creſcere & ſuis progreſſionibus vti cœpit vrbs; quam nos hic interim relinquemus, donec adultior facta rebus terra marique geſtis caput attollere, ſeque mundo oſtendere, & cum potentiſſimis

Venetiarum natiuitas.

potentiſſimis quibuſq; regnis & imperiis, nunc de ſalute, nunc de gloria certare cœperit.

Cap. 30. *Saxonum in Britanniam deſcenſus.*

Sub eodem verò tempore, quo *Attilas* in Italiam terra venit, Saxones mari in Britanniam hanc noſtram deſcenderunt. Cauſa hæc erat; *Aëtius*, dum copias omnes contra Hunnum in Galliam irrumpentem contrahit, legionem etiam Romanam è Britannia euocauerat. Quo præſidio deſtituti Britanni, Scottis & Pictis, & totius Aquilonis latronibus maritimis in prædam protinus conceſſerunt. Itaque pulſo è Galliis Hunno rurſus *Aëtium* de præſidio ſubmittendo precibus fatigant. Rurſuſque legio mittitur, ſed ad quemlibet ſubinde in Gallia motum, & legio & claſſis, qua ſola ad hæc tempora à maritimis incurſibus tuti fuerant, abducitur. Quo animaduerſo Britanni, ne ſemper ſub cultro linquerentur, rejecto in quibus nihil ampliùs ſubſidii ſupereſſe viderant Romanorum imperio, rebus ſuis, ſuo Marte conſulere ſtatuerunt. Ante omnia Regem ſibi *Conſtantinum* ex Armorica, quo veteres Britannos à *Clemente Maximo* abductos fuiſſe dudum, diximus, delegerunt. Is Totneſium in Deuonia cum claſſe appellit, & magna cùm virtute tum fœlicitate irruens, nunc terra, nunc mari, nunc omni parte Pictorum, Scottorum, Noruegiorum & Dacorum, ſeu Danorum vim repellebat. Hic *Conſtantinus* tres filios, *Conſtantem*, *Aurelium*, & *Vterpendragonem* habebat. Equibus *Conſtantem* natu maximum, quòd ingenio hebetior videbatur, religione ſacrauerat: & ipſe paulò pòſt, cujus cujus inſidiis, veneno periit:

riit: quo ſublato, ſuborta eſt quæſtio, vter è duobus, *Aureliuſne* an *Vterpendragon*, ambo adhuc in cunis tantùm non vagientes, in regno ſuccederet. Erat hoc tempore in Britannia *Vortigernus* quidam, vir ortu nobilis & magnæ autoritatis: is, vt viam ſibi ad regnum conſilio muniret, *Conſtantem* natu maximũ, & adultiorem jam ætate factum, cœnobio extractum populo oſtendit. Et quid nos, inquit, vtrum è duobus infantulis, in quorum alterutro nihil opis aut ſubſidii per ætatem ineſt, in regem eligimus, ſtulto conſilio deliberamus? quum juuenem hunc & natu maximum & adultum annis, & ad res gerendas non inidoneum, regni hæredem habeamus? quiſquamne veſtrûm patris, qui puerum hunc impuberem adhuc, nec voti faciendi compotem, in monaſterium veluti in carcerem detruſit, judicium, pluris quàm vel gentium, vel naturæ jus, faciendum eſſe putet? aut tam ſimplex quiſquam, vt judicium illud patris, potiùs quàm injuriam appellandum eſſe cenſeat? & cum dicto coronam adoleſcentis capiti, inſpectante & applaudente populo, impoſuit. Hoc igitur Rege creato, *Vortigernus* ipſe omnia regni negotia domi militiæque pro ſuo arbitrio adminiſtrabat. Quùm verò res ſuas paulò confirmâſſet, moræ pertæſus, regnum ipſum, nefario ſcelere occupauit Qua re cognita, qui *Aurelium* & *Vterpendragonem* infantes in poteſtate habebant, clàm eos ad mare deferunt, vbi nauem vtcunq; nacti, in Britanniam minorem, ad *Budecium* Regem infantulorem patruum, magno quidem *Vortigernus.*

dem periculo, ſed ſine quo nulla ſalutis ratio oſtendebatur, deportarunt.

Cap. 31. Omni ætate gentes illæ Germanicæ, quæ Oceanum & hoc noſtrum mare ſpectant, latrociniis maritimis deditæ fuerunt. Hoc verò tempore quum Saxones, pube, vltrà quam victus ſuppeteret, abundante, more gentis, colonias ſorte ductas, veluti propagines ad ſedes exteras, ſeu terra, ſeu mari quærendas emittere vellent, ſors in duos fratres, *Hengiſtum* & *Horſum* cecidit. Hii quum eodem tempore omnia Pannoniæ, Illyrici, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Africæ loca, à diuerſis populis, Hunnis, Gothis, Burgundis, Francis, Vandilis, Alanis & Sueuis à cardine Septentrionali profectis occupari cernerent, fortunam ſibi mari faciendam eſſe cenſuerunt. Itaque nauibus profecti, Cantium Britanniæ prouinciam appellunt. Ibi tum fortè *Vortigernus* erat; & Doroberniæ, quæ nunc *Cantuaria* eſt, animo, ex ingentibus poſt regnum occupatum cladibus acceptis, ægro & afflicto ſolatium quærens demorabatur. Cum igitur noui & peregrini habitus homines appuliſſe inaudiſſet, eos ad ſe venire juſſit. Quumque viros & ſtatura plus quàm mediocres, & animo elatos, & omnia Regi ſuis armis pollicentes reperiſſet, dignos ſtatim cenſuit, quos ſuæ militiæ aſcriberet. Aſcripti, omnes militiæ labores & pericula depoſcunt; profecti verò, pauci quamuis numero, (non enim vltrà nouem mille armatorum erant) ingentes Pictorum exercitus, quâcunq; nacti, nullo negotio profligabant; facilè vt appareret, eos non ſtolida

ſtolida ferocia, ſed armorum vſu & belli peritia cæteris præcellere. Fugatis demùm Pictis ad *Vortigernum* redeunt, & ſibi quidem ad rem gerendam copiarum ſatis eſſe docent; ad perficiendam aliquantulùm deeſſe aiunt. Si Regi videretur, ſe quos poſſent è gente ſua in ſupplementum excituros; vt Pictos & Scottos non ſolùm à finibus Britannorum arceant, verumetiam arma perduellibus vltrò inferant, & debellatos Britannorum Imperio ſubditos reddant. Quæ ſi non eſſent, in mentemne tibi, ô Rex, non venit, inquit *Hengiſtus*, quanta bella è Britannia Minore, à defuncti Regis fratribus *Aurelio* & *Vterpendragone* nunc inſtent? infantes ſcilicet eos è manibus emiſiſti, vt eſſent, qui nunc & fratris à te occiſi mortem vltum veniant, & ius ſuum armis repetant. Jam ſi (quod omen auertant Dii) ſed ſi, quod in omni conſimili cauſa fieri conſueuit, nunc contingeret, vt hinc illi Britonum opibus ſubnixi, inde Picti & Scotti veteres hoſtes in te tanquam in communem hoſtem arma conjunctis viribus & communibus conſiliis inferrent, quid reliqui eſt, niſi vt à duobus potentiſſimis hoſtibus oppreſſus, & ipſe cedas, & nos ſimùl, numero pauciores & aduerſus tantas hoſtium copias impares, miſerè pereamus? *Vortigernus* ad hæc, & quanta me pericula domi, foriſque circumſtent, & acerba meorum in me odia, non ignoro. Itaque rem mihi pergratam feceritis, ſi ampliores è terra veſtra copias huc accerſiueritis. Quo audito *Hengiſtus Octam* filium cum delecta manu accerſit. Ille cum decem & octo nauibus, citiùs

quàm

quàm putari poſſet, appulit, ſecumque ſororem ſuam, *Hengiſti* filiam, *Rouennam* adduxit. Quam Rex primo viſu ita adamauit, vt nulla mora eam ſibi à patre in vxorem dari peteret. Britanni quum tantam claſſem appuliſſe animadtiſſent, quantumque ex nouis iſtis aduenis periculi inſtaret conſideraſſent, *Vortigernum* patrem, cujus vitio id accidiſſet, Regno exuunt, & *Vortimerum* filium Regem aſciſcunt. Is, accepto Imperio, bellis & terreſtribus & naualibus Saxones debellabat; quumque intra Thanetum inſulam concluſiſſet, eos arcta ibi obſidione (claſſe, qua ad mare patet, circumfuſa) preſſit, donec ad extremum Saxones *Vortigernum* patrem rogant, vt ad *Vortimerum* Legatus iret, id vnum agentes, vt indè liberè in Germaniam abire liceat: quo impetrato, vno commeatu omnes in Germaniam abierunt. *Vortimerus* verò paulò pòſt *Rouennæ* nouercæ inſidiis periit, & *Vortigernus* ad regnum veluti poſtliminio rediit. Verùm quũ omnia circà ſe intuta eſſe animaduertiſſet, rurſus *Hengiſtum* è Saxonia malis auibus accerſit: ille cum ingenti claſſe & trecentis millibus hominum in Britanniam veluti ad notum cubile redit; quo tanto exercitu conſpecto, non alios modò, verumetiam ipſum *Vortigernum* obſtupuiſſe ferunt. Sed quum frenum ore ſemel accepiſſet, equitem tergo depellere fruſtrà laborabat. Interim *Hengiſtus* rem ad regem excuſare; Quod tantas copias adduxiſſet, cauſam fuiſſe à *Vortimero*, quem vſque viuere putabat, metum; quo benignitate Deûm ſublato, ſatis ſcire ſe tantis jam exercitibus opus

non

non esse. Itaq; quantis sibi copiis opus sit, ipse diceret, reliquos se in Germaniam extemplo remissurum. Interim verò exercitum in partes diuidit, & in interiora regni se insinuat; vtque tempus extraheret, procerum concilium sibi dari petit: Ne quid (inquit) illi deinceps, se inconsulto, à te factum esse dicant. Hujus verò concilii exitus is erat, vt proximis Calendis Maii, omnes regni Duces & Proceres edito signo, *Hengisti* perfidia tollerentur. Ipse modò *Vortigernus* morti exemptus est, vt sub ejus vmbra regno ipso *Hengistus* potiretur.

Vortigernus, quum eum serò stultitiæ suæ pœnituisset, in montana & inaccessa Cambriæ loca se recepit. Ibi *Merlini*, celebris tum Magi, vaticiniis & responsis vacare cepit, quum subitò *Aurelius* & *Vterpendragon* ex Armorica Totnesium, in agro Deuonienſi, cum classe valida & exercitu appellunt. Auctis verò copiis, quamuis pari tam in *Vortigernum*, quam in *Hengistum* ira ferebantur, acriores tamen odiorũ stimuli in *Vortigernum* incitabant; Itaque primum in hunc mouent, eumque turri inclusum subjectis ignibus comburunt. Quo edito facinore, Britanni omnes certatim ad *Aurelium* veniunt, Regem salutant, duceret quò vellet, se sequuturos, fraternæ cædis vindictam à *Vortigerno* jam sumpsisse, pergeret modò, & *Hengistum* aduenam, vel in acie Deo juuante sterneret, vel præcipitem ad naues ageret. Esse sibi manus, esse animos ad obsequia & pericula juxta paratos, nec nisi victores ex acie reuersuros se esse spondent. *Aurelius* hoc ardore militum vtendum Cap. 32.

vtendum ratus, *Hengiſtum* quærere inſtituit; nec *Hengiſtus* pugnam detrectabat. In campo *Maiſtelio*, vel, vt alii volunt, *Maisbeli*, ingentibus copiis, ſed longè majoribus animis concurritur. Hic campus, vbi tandem jaceat, quum primùm iſta ſcriberem, me ignorare, ſtilo faſſus fueram; & ſemper forſitàn ignorâſſem, niſi currente jam prælo, Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, *Jacobi Vſſerii* Archiepiſcopi Armachani, incomparabilis doctrinæ viri, librum *De Britannicarum Eccleſiarum Primordiis* inſcriptum, recentèr editum, & ad me à Paternitate ſua munuſculum miſſum, oportunè admodùm accepiſſem. Ex eo, quùm infinita alia, quæ vetuſtatis tenebris priùs obruta me fugerant, tum hoc etiam intellexi, Campum Maisbeli planitiem quandam eſſe juxtà *Conani vrbem*, Britannis *Caer Conan*, Anglis olim *Coningburg*, nunc *Conisburgh* vulgò dictam in agro Eboracenſi, ad *Donum* fluuium poſitam fuiſſe. In hoc igitur campo *Hengiſtus* cum ducentis armatorum millibus *Aurelio* occurrit. Fit pugna qualis inter homines pari ſpe, pari fiducia præditos, & de regno paribus armis decertantes eſſe ſolet. Inter reliquos exercitus Aureliani Principes, vnus erat nomine Eldol, Claudioceſtriæ Comes. Is quum *Hengiſtum* primis ſemper ordinibus pugnam cientem cerneret, cum juuenum globo irruit, & *Hengiſtum* comminus congreſſus vi victum cepit. Saxones amiſſo Rege fugæ ſe dant, magnamque exercitus partem amittunt. *Hengiſtus* in tot procerum per fraudem ab eo ad Amisburiam cæſo-

Archiep. Armachanus.

rum

rum vindictam morti traditur, anno Domini quadringentesimo octogesimo nono. At nos hic Saxonas interim relinquamus, & ab extero hoc mari ad Mediterraneum, vnde digressi sumus, ventis ferentibus redeamus. Dixi superiùs *Bonifacium Aëtii* fraudibus impulsum Vandalos ex Hispania in Africam euocâsse; Rex Vandalorum illo tempore erat *Genserichus*, qui, cùm classe in Africam trajecisset, omnia statim armis ab Oceano ad Ægyptum à Mediterraneo, Æthiopiam vsque, veluti fulmen quoddam penetrabat, & Carthaginem demùm ipsam, rerum in Africa caput, cepit. Quo eodem tempore *Valentinianus*, Occidentis Imperator, à Trasyla quodam *Aëtii* (dum viueret) cliente, sed impulsu *Maximi Patricii*, interficitur. Causa *Maximo* fuit, quòd Imperator vxorem ejus vitiauerat. Eo verò mortuo *Maximus* imperium inuasit, & *Eudoxiam Valentiniani* relictam in vxorem, inuitam licèt & reluctantem, cepit: Cui inter lecti conjugalis blanditias breui post confessus est, falsò quidem (suas enim injurias vltum ibat) sed tamen fassus est, se, ejus amore captum, *Valentiniano* mortem conciuisse. Mulier rem animo ea nocte coquebat; mane verò surgens, nec vltrà rem distulit, fidū nuntium ad *Genserichum*, Africæ jam Regē, mittit: rogat vt in Italiam transmitteret, & *Valentiniani* cædem in sui gratiam vlciscerētur. *Genserichus*, accepto nuntio, classem, qua nuper ex Hispania venerat, quamque ad nouum Imperium stabiliendum in procinctu semper habebat, deduci jubet, & cum trecen-

torum milliũ exercitu in Italiã vela facit. Vbi primo ſtatim aduentu Romam (cui *Attila* pepercerat) portas, odio tyranni, vltrò aperientem cepit, captãq; exhauſit, auerrens inde quicquid, vel in vrbe, vel in templis, publicè priuatimuè, aut diuitiarũ, aut ornamentorũ erat. Nec, quæ *Attilã* mouerant, *Leonis* Pontificis Romani preces & lachrymæ *Genſerichũ* flectere valuerunt. Fatavrbiũ! Carthaginẽ & Romam, duo rerũ in Africa & Europa capita, hoſti vni, externo, crudeli, barbaro, intrà ſedecim annorum ſpatium in prædam data Sol vidit. Ingens enim hac ætate erat Vandalorum in mari potentia. Et *Genſerichus*, guſtata ſemel Italiæ dulcedine, ſæpiùs eam cum claſſe repetebat; in quamcunque verò partem appuliſſet, omnia, fœdum in modum, impunè diripiebat. Erat enim ei hoc in mare poſitum, vt primo ſtatim vere quotannis cum claſſe ex Africa ſolueret, & quamcunque terram vento delatus attigiſſet, eam velut antè deſtinatam hoſtiliter inuaderet. Sic omnes Italiæ, omnes Siciliæ oras, omnes Italiam inter & Africam jacentes inſulas vaſtauit. Sardiniam verò & inſedit. Mox Sinum Adriaticum penitùs ingreſſus, omnem Illyrici, Dalmatiæ, Epiri oram depopulatur; longiùs etiam ad Orientem progreſſus Peloponeſum ingreditur, omnia agens ferenſque; aut, ſi quæ nec agi nec fieri poſſent, ea vel ferro vel flamma abſumebat. Nec vllus in toto Imperio Romano reliquus jam erat, vel *Fabius* qui clypeum, vel *Marcellus* qui gladiũ, hoſte vim inferente, prætenderet, *Maximo* verò ſublato, Senatus Romanus

Roma capta.

Vandalorum in mari potentia.

Romanus, qualiſcunque tum erat, *Auitum* ſuffecit. *Theodoſio* verò in Oriente ſucceſſit *Martianus*: priuatis ille beneficiis *Genſericho* obſtrictus, vtpote qui captiuus olim in Africa vitam à *Genſericho*, fide priùs data, ne vnquam contra Vandalos arma ſumeret, acceperat.

Martiano deinde defuncto Imperii gubernaculum accepit *Leo*. Is, Imperium adeptus, omnes animi ſimul & Imperii vires aduerſus *Genſerichum* intendit. Centum millium exercitum ſub *Heraclio* Duce in Africam miſit: Claſſis verò curam *Baſiliſco*, *Verina* vxoris ſuæ fratri tradidit. *Heraclius* primo aduentu non incommodè terra rem egit, Vandaloſque ad Tripolim in Africa acie profligauit. *Baſiliſcus* verò claſſis curam turpitèr adminiſtrauit. Nec tamen, quo turpitudinis genere maximè peccârit, facilè exiſtimari poſſit, ignauiæne, an ſimplicis in re militari imperitiæ, an denique, quæ ex auaritia cauſam traxerit, perfidiæ & proditionis. *Heraclius* enim expoſitis in terram militibus, claſſem, vt juſsus eſt, *Baſiliſco* tradidit. Eam *Baſiliſcus* ad *Mercurii* promontorium, in conſpectu Carthaginis, per otium tenebat. Qua re perſpecta, *Genſerichus* quinque dierum inducias à *Baſiliſco*, (interim de conditionibus ſcilicet, quibus ſe *Leoni* dederet, deliberaturus) petiit. Neuè gratis petere videretur, rem pretio emit: pactis induciis *Genſerichus* Carthaginem continuatis diei noctis operibus & permuniuit, & milite repleuit. Collapſa enim fuerant magna parte mœnia, & vrbs ipſa præſidio vacua. Inde claſsem, quam re non potuit, in ſpeciem

Cap. 33.

Baſiliſci ignauia.

inſtruxit, & *Baſilici* inertiæ magis, quàm ſuis viribus confiſus, in hoſtē mouit. *Baſiliſcus* primo ſtatim appulſu manifeſta timoris ſigna dabat. Quo conſpecto, hoſtibus animi creſcere, ſuis minui cæperunt: nec *Genſerichus* occaſioni defuit: factaque impreſſione naues, alias pertuſis lateribus ſubmerſit, alias cum ſociorum naualiuum militumq; cæde cepit; nec ex tanta claſſe vlla nauis (vnica prætoria in qua ipſe *Baſiliſcus* ferebatur excepta) rediit. Id metunè vero, vt dixi, an ſimulatò *Baſiliſcus* fecerit, parùm inter autores conuenit; quoniam verò nulla metus cauſa ſuberat, ideo frequentiore autorum calculo proditionis reus agitur. De pedeſtri deindè exercitu, quid factum ſit, non reperio: periiſſe putauerim, quòd Vandalorum res altiores ſubinde in Africa radices egiſſe conſtet. Non deſunt qui totam hanc rem aliter referant: narrant enim *Sabellicus*, *Abbas Tubingenſis*, *Vaſæus*, & *Rodericus Toletanus Genſerichum*, dum Siciliam ſecundò peteret, à *Baſiliſco* prælio nauali non procul ab Italiæ littore victum in Africam refugiſſe. Ad meipſum verò quod attinet, equidem ita ſtatuo: quum neminem vnum autorem duplicis pugnæ mentionem facere inueniam, nec tamen ipſæ quæ memorantur pugnæ, vel locum, vel tempus, vel rei gerendæ modum, vel aliud quicquam, præter ipſos Duces, commune habeant, vt in diuerſa me trahi non diffiteor, ita nihil video, quò minùs duas has pugnas fuiſſe, & ſuam vtrique fidem conſtare putem; ſin vna tantùm fuit, *Procopii* Cæſarienſis autoritatem facilè apud me valere patior.

Victoria naualis à Genſericho aduerſus Baſiliſcum parta.

Nam

Nam & illis ipſis temporibus proximus fuit, & perpetui deinceps Vandalorum ſucceſſus *Genſerichum* victorem, non victum, fuiſſe clamant.

Erat hic *Leo* pace & bello, terra marique juxtà clarus: &, vt in tam degeneri ætate, quanquam Cæſaribus, *Traiano*, *Seuero*, *Conſtantino*, nullo genere par, aut comparandus, Magni tamen cognomen inuenit, eoque titulo ad poſteros commendatus obiit. *Leoni* Magno ſucceſſit *Leo* junior, & ei *Zeno*, poſt quem *Anaſtaſius* Imperator Romani Imperii moderamen in ſe ſuſcepit; aduerſus quem *Vitalianus* genere Thrax arma mouit. Sed quum nihil aduerſus vrbem Conſtantinopolim copiis terreſtribus proficeret, bellum ipſum à terra in mare tranſtulit, &, numeroſa claſſe comparata, aditum in vrbem, quem per portas inuenire non potuit, per portus quærebat. Vrbem tum *Marianus* præfectus tenuit; variis verò in mari contractis præliis, in quibus maxima parte ſuperior *Vitalianus* fuit, vir vnus, non manu armata, ſed ingenio & mente, laborantibus jam rebus opem tulit. Is *Proclus* erat; qui quum vel ſubeuntes mœnibus naues injectis vncis ſæpè ſuſpendiſſet, vel longè ſtantes libratis ponderibus magno numero confregiſſet, nec vllum, propter incomparabilem nauiũ in muros pugnantium multitudinem, exitum reperiret, nouo commento animum aduertit. Specula ærea à mœnibus ad Solis radios eo tempore ardentiùs irruentes ſuſpendit, quorum repercuſſu in naues juxta ſtantes facto, non ſecùs quàm fulmine, tota claſſis correpta deflagrauit. Vrbis potiundæ

Cap.34.

Leo magnus.

Proclus.

tiundæ ſpe dejectus *Vitaliano*, quum nullam claſſis reparandæ facultatem in propinquo haberet, obſidionem ſoluit. Sunt qui *Proclum* hoc commentum ab *Archimede* traxiſſe memorant; idque *Zonaræ* ſcilicet ex *Dione* (vt ait) *Niceo* primus memoriæ prodidit. Quaſi verò *Dion* ille cum rebus ab *Alexandro*, *Mammæ* filio, Imperatore geſtis ſuam non clauſiſſet hiſtoriam, aut quaſi tam *Alexander*, quam *Dion* ipſe diem ſuum non clauſiſſet extremum, aliquot ſæculis antè Conſtantinopolim à *Vitaliano* obſeſſam. Erat hic *Proclus* Platonicorum Philoſophorum, quotquot vnquam fuerunt, ſummus; idque opera ipſius, quæ etiamnum extant, ſatis indicant: ſed vt erat mente omnium diſciplinarum capaciſſima præditus, ita in Mechanicis ipſum *Archimedem* vicit. *Livium* certè, qui tormenta & machinas ab *Archimede* ad Syracuſarum tutelam excogitatas exquiſitiſſimè commemorat, de ſpeculis hujuſmodi vſtoriis mentionem nullam facit; quam laudem, vtique, in tanto viro non ſiluiſſet, ſi rei fama quantumuis leuiſſima, ad ejus aures peruenisſet: ſed nec *Plutarchus* in vita *Marcelli*, vbi *Archimedem* omnibus laudibus proſequitur, hoc ingenii humani portentum commemorauit. Itaque ſua *Archemides* laude contentus memoria hominum ſempiterna viuat. *Proclus*, vt omnia ab illo relicta hauſit, ita multa addendo vnum *Archimedem* omnia non vidiſſe oſtendit. *Anaſtaſio* verò ſucceſſit *Juſtinus*, vir *C. Mario* indoctior, bellator tamen ſtrenuus & manu fortis, & ſub quo (quod in vltimis laudum ne fuerit)

Procli philoſophi præſtantia.

Imperium

Imperium Romanum nullum detrimentum paſſum memoratur.

Juſtino verò in Imperio Romano, quod nullum jam in Occidente erat, ſucceſſit *Juſtinianus*, vir magnus planè & omni virtutum genere, bello, pace, prudentia, conſtantia, fide & Chriſtiana religione memorabilis. Is quum varia bella viuo *Juſtino* magna cum gloria adminiſtrâſſet, Imperium jam adeptus, pleraque per Duces, ſed tria præcipua, Perſicum, Vandallcum, & Gothicum, per *Beliſarium* geſſit. Quorum Perſicum terreſtribus omninò copiis geſtum fuit. Nec vlla in eo, vel nauis, vel maris mentio. Quo ſexto demùm Imperii anno, cum *Cabade* Perſarum Rege conditionibus finito, omnes ſtatim & cogitationes, & Imperii vires, ad Vandalos in Africa debellandos conuertit. Vandalorum tum Rex *Gilimer* erat, duos enim *Genſerichus* (quem primum Vandalorum regnum in Africa conſtituiſſe diximus) filios habuit, *Honorichum* & *Genſonem*; quorum ille *Hilderichum*, hic *Gilimerem* genuit. *Hilderichus*, lege à *Genſericho* de regni ſucceſsione lata, regnum adeptus, per ſeptem & ampliùs annos tenuit; Vir ingenio mitis, religione rectus, & *Juſtiniano*, viuente adhuc *Juſtino*, multis magniſque beneficiis obſtrictus: contrà *Gilimer* natura ferox, & ſanguinis appetens, ſed Imperii magis; quique innatum quoddam odium aduerſus Romanos, præſertim orthodoxos, præ ſe ferebat: quo etiam nomine *Hilderichum*, tanquam Imperatori Romano impenſiùs ſtudentem, apud milites incuſabat, peruicitque demùm

Cap. 35.

Juſtinianus.

mùm vt, depulſo *Hildericho*, & luminibus orbato, ipſe in Regem præter jus & fas aſsumeretur. Quarum rerum fama ad *Juſtinianum* jam imperantem perlata, cœpit ille ſtatim animum ſic aduertere, vt injuriam *Hildericho*, veteri amico, & in ſua veluti clientela poſito, & rectæ religioni innutrito illatam, ad ſuam fidem pertinere interpretaretur; quam ſi inultam eſſe ſiuerit, ſi armis non vindicârit, ſi denique *Gilimerem* ad ſanguinem *Hilderichi* euomendum non adegerit, nec Imperatoris titulo, nec ipſius *Juſtiniani* nomine vltrà ſe dignũ cenſeri velle dixit. *Juſtinianus* igitur, ſiue vera hæc belli inferendi cauſa, ſiue cauſam quærenti color erat, ſeptimo Imperii ſui anno, contracta claſſe, eam milite impleuit, & vniuerſam tam claſsis, quam exercitus adminiſtrandi curam, cum libera rerum terra marique gerendarum poteſtate, *Beliſario* tradidit, & in Africam properè nauigare juſsit. Tota claſsis quingentis nauibus conſtabat: è quibus nonaginta duæ longæ quidem, ſed moneres tantùm, hoc eſt, quæ vnico remorum ordine, nec ampliùs quàm vnico ad remum remige vterentur, erant; tectæ tamen, ne inter pugnandum remiges telis hoſtium deſuper incidentibus paterent. Has hu jus demùm ætatis homines, vt author eſt *Procopius*, repetito veterum vocabulo, propter eximiam in curſu celeritatem, *Dromonas*, hoc eſt, curſorias appellabant. Triremium enim & Liburnarum cum vſu nomen jam olim antiquatum fuerat. Qui verò Dromonibus iſtis, nauis nauigandæ cauſa, inerant, ad duo millia omnes Conſtantinopoli

Belli Vandalici origo

Claſſis Beliſarica.

Dromones.

nopoli oriundi cenſebantur; cæteri milites erant; ſeruitia & impedimenta nulla. Reliquæ claſſis nautæ, ex Ionibus, Caribus & Ægyptiis, ad viginti millia conſtabant. Nauium verò nulla vltrà quinquaginta medimnorum fuit: medimnus autem, authore *Suida*, ſex modiorum menſura erat, pondere verò centum octo libras efficiebat. Claſſis præfectura *Cleonymo* deferebatur. Paratis igitur jam omnibus, & die ad proficiſcendum ad Solſtitium æſtiuale conſtituto, *Juſtinianus*, Conſtantinopoli tum agens, nauem prætoriam ad Regiam littori imminentem appellere juſſit. Ibi *Epiphanius*, vrbis Epiſcopus, cum clero ſolemnitèr progreſſus, pro fœlici claſſis expeditione, & belli euentu ſolemnes ad Deum orationes fudit, fauſta omnia & fœlicia aduersùs Vandalos, perduelles, perfidos, rebelles, Arrianos, & orthodoxæ Chriſti religioni infeſtos precatus. Tum ad fidem conuerſos, (quos Catechumenos vocabant) ipſo in littore baptiſabat. Ea enim olim Chriſtianos opinio imbuerat, opere baptiſmi operato, peccata omnia ablui & dimitti; ideoque regenerationis ſuæ lauacrum in extremum vitæ tempus differebant, nec baptiſmum, niſi graue vitæ periculum adituri, demùm ſuſcipiebant. Peracta militum regeneratione, naues conſcendunt; tum ſilentio per præconem facto, tubis clangi cœptum, ſolutiſque oris omnes remis, ſpectante Imperatore, incubuere. Primo die Heracleam tenuerunt, ibi quinque dies, qua qua de cauſa, morati, ad Helleſpontum inde vela faciunt: Vbi hujuſmodi res accidit.

Medimnus, quid?

Claſſis luſtrandæ apud Chriſtianos mos.

Erant

Cap. 36. Erant in exercitu duo viri, genere Maſſagetæ ſiue Hunni, inter ſuos bellatores clari, & multis fortibus factis illuſtres. Hii inter potandum ſtricto ferro quendam ex auxiliaribus interfecerant. Quumque apertior res eſſet, quam vt negari, grauior verò quam vt, ſalua vel religione, vel diſciplina militari diſſimulari poſſet, *Beliſarius* damnatos palis infigi juſſit. Perſicum hoc erat ſupplicii genus; & tunc primum, quantum reperio, à Romanis vſurpatum. Maſſagetæ grauiter rem ferre; ſe vt amicos *Juſtiniano*, non vt ſubditos militare. Grauiter & ipſos facinus à popularibus ſuis perpetratum ferre, & factum nolle: non ea tamen pœnæ acerbitate in amicos & ſocios, vt in ſeruos, animaduertendum fuiſſe dicere, palamque ferebant, ſublatis ſignis abituros. Nec deerant, qui motos ſemel Maſſagetarum animos ſeditioſis inſuper ſermonibus accenderent. Qua re animaduerſa, *Beliſarius*, non vltrà ſupplicijs graſſandum ratus, concionem aduocat, & è ſuggeſto ita diſſeruit, vt non ſolùm factum ſuum in præſens tueretur, verùmetiam proditum in homicidas exemplum ad ſuſcepti belli ſummam pertinere affirmaret. Nam quid læti, inquit, ab eo milite in acie ſperandum, qui manus ſuas ciuili priùs quam hoſtili ſanguine cruentauit? Juſtus Deus, juſtique & æquì cultoribus adeſſe, ſceleratis & impiis aduerſari ſolet. Mihi purum & pium bellū cum Vandalis, gente impia, barbara, Arriana gerendum mandauit Imperator; id ego quo tandem modo exequar, ſi exercitū in aciē ſociali cæde madentē eduxero?

qua

qua oratione, & efferatos Maſſagetarum animos placauit, & ſuis ſpem fecit, rei proſperè gerendæ, quæ ſic à juſtitia, & in ſceleribus vindicandis conſtantia inciperet. Neuè ſeditio, eodem loco morando, vt fit, creſceret, militem properè naues conſcendere jubet. Abydo profectus Sigæum venit; inde ad ſinũ Maliacũ applicũit; & circumita mox Peloponeſo, decimo ſexto, quam Conſtantinopoli ſoluerat, die Siciliam ſubiit. Ibi jactis anchoris ſubſtitit: quoniam verò tam ingentem claſſem trahebat, metuſque ſuberat, ne forte vel noctu, vel interdiù, ſiue errore quo, ſiue tempeſtatum vi diſtraheretur, primùm omnium, trium nauium, in quibus ipſe & familia ſua ferebantur, vela minio infecit. Rubeus quippè color cœlo, ſiue fulgido, ſiue nubilo facilè conſpicitur. Ex earundem verò nauium puppibus noctu lumina ſuſpendit: Quæ omnia magna tum ratione facere *Beliſarium* videbatur; vtpotè re nauali ad eam jam infantiam reuoluta, quanta ne *Jaſonis* quidem tempore olim laborâſſe dicitur. Dum circà Siciliam hæret, triplex incommodum claſſem innaſit; nam & aqua temporis diuturnitate corrumpi cœperat, & panis penitùs vitiatus fuerat; & fama repens de Vandalorum claſſe aduentante ferebatur. Et aquationis quidem incommodum *Antonina*, *Beliſarii* vxor quæ vnà cum viro ad hoc bellum nauigabat, muliebri conſilio pro parte leuauit. Vitrea enim vaſcula, aquis dulcibus repleta, imo nauis, in ſabulo condiderat; eaque res *Beliſario* ejuſque familiæ, cæteris ſiti laborantibus, priuatim

uatim vſui erat; reliquæ verò claſſi nihil leuamenti attulit. Neq; verò magni momenti res hæc erat: Mare enim mediterraneũ nauigantibus, armaq; tenentibus, huic malo facilè aliunde remedium adhiberi potuit. Corrupti verò panis, cum periculum ingens, tum intolerabilis exempli crimen erat. Erat quidam *Johannes*, Præfectus Prætorio, homo auarus, & tota vitæ ratione improbus; Is multis ſæpè rationibus apud Imperatorem contenderat, ne bellum Vandalis illatum vellet; peruiceratque ad tempus, vt ejus rei curam *Juſtinianus* abjiceret, nunquam forſitàn reſumendam, ni Monachus quidam ex Oriente, veluti lymphaticus occurrens, ſe in ſomnis diuinitùs admonitum, dixiſſet, vt malum Imperatori denuntiaret, ni Vandalos, gentem impiam & Arrianam, quàm primùm extirpandam curaret. *Johannes* igitur quum conſilium Imperatoris ratum jam fixumque ampliùs diſcutere non poſſet, contrario conſilio rem abrumpere apud ſe ſtatuit. Mos tunc erat, vt nunc eſt, longas expeditiones, præſertim maritimas, ſuſcepturis, bis coctos panes pro commeatu ſumere. *Johannes* igitur, quum ad hoc iter hujus generis panes nauibus inferendi eſſent, eam rem ſibi committi & demandari petiit. Præfectuſque Prætorio quum eſſet, Quæſtoris miniſterium obire non dubitauit. Egit igitur cum Piſtoribus, vt panes crudos, in furnos, ſuprà quàm oportuit, calefactos imponerent, nec niſi affatim exteriùs incruſtatos & torridos extraherent, vt ſic bis coctorum ſpeciem præ ſe ferrent,

rent, quum quod intus esset ignis vim vix persensissent. Hoc igitur modo comparati panes, & naubus immissi, bonitate simul & pondere fallebant. Idque vitium primis diebus vel inobseruatum, vel à Quæstoribus metu *Johannis* dissimulatum fuerat. Vbi verò procedente tempore, idque in mare, in farinam suam soluti recidissent panes, militesque insuper nausea affecti sic corruptos stomacho non admitterent, vulgari statim morbi tota classe cœperunt; pauciſque diebus, quadringenti milites in libitinam relati. Id videns *Belisarius*, properè in Siciliam nouos commeatus quæsitum misit. Eo tempore Sicilia sub Gothorũ Imperio erat, præeratque ei *Amalasuntha*, *Theodorici* defuncti ex filio *Eutharico* nurus, *Athalarici* pueri octennis, sed Regis ab auo testamento instituti mater simul & tutrix. Hæc post soceri sui decessum (vir enim, viuo adhuc *Theodorico*, in fata concesserat) sibi metuens, cum *Iustiniano* amicitiam priuatim junxerat. Quæ res *Belisario* totiq; classi, impræsentiarũ saluti fuit: *Amalasuntha* enim Legatos à *Belisario* missos benignè accepit, nec panes modo, verumetiam commeatum reliquum omnem, idque facili pretio subministrauit. Quibus rebus recreatus, rei benè gerendæ spem, qua pœnè exciderat, recepit *Belisarius*. Scripsit tamen ad *Iustinianum* litteras, quibus *Johannis*, vnde vnde, siue ex auaritiæ, siue ex proditionis fonte profectam fraudem, & ingens ex ea totius exercitus discrimen, & tot fortissimorum virorum exitium significauit. Quam tamen rem siue metu potentiæ,

(erat

ὑπαρχ. τῆς αὐλῆς.

(erat enim, vt dixi, *Johannes* Præfectus Prætorio, & *Belisarius* cum classe aberat) siue alia qua de causa in præsens dissimulabat. Sed hic ipse tamen *Johannes*, non ita multò pòst, miro Dei judicio, forsitan & justissimo Imperatoris eódem spectantis decreto totam à Chalcedone Alexandriam vsque in Ægypto viam pedibus conficere, & in itinere panem, in quo conficiendo tam nequiter fefellerat, mendicare coactus est. Longè verò maximum erat tertium, quod diximus, incommodum; Quum enim fama de Vandalis mare tum tenentibus, in exercitu percrebuisset, murmur tota classe exortum est, missisque de naue ad nauem nuntiis, omnes in eandem sententiam conueniebant, idque palàm præ se, & intrepidè ferebant, si pedestri sua opera vti velit *Belisarius*, se militum & fortium virorum officio non defuturos; sin ad naualem pugnam duceret, sublatis velis confestim migraturos. Tantum jam Romanus miles à majorum suorum nauali virtute & disciplina degenerauerat. Id videns *Belisarius* Duces & Ductores ordinum ad se vocat, grauitérque increpuit, quod rumorem nullo certo indicio subnixum, auribus primùm tam temerè admisissent, admissum deindè animis sic aluissent, vt illorum magis, quam militum vitio, res ad seditionem jam spectaret. Nam quis, inquit, ventosissimæ hujus famæ author? quæ origo? An *Amalasunthæ?* an Procerum, an Magistratuum, an Nauarchorum, vel Gothicorũ, vel Siculorum aliquis, siue nuntio, siue litteris significauit? quæ hoc animorum

conster-

conſternatio? quam fœda? quam probroſa? Ego vos in acie Vandalos profligaturos putem, ad quorum nomen nunc in claſſe contremiſcitis? ſcilicet, id virorum eſt, pugnandi conditiones quærere; non vbicunque hoſtem fors obiecerit, terra, mari, noctu, interdiù, loco æquo, iniquo, fortiter ſe gerere. Et Panicos quidem terrores, hoc eſt, ſubitos & nulla cauſa contractos, ſed veluti à Deo immiſſos totis ſæpè exercitibus incidiſſe fando audiuiſſe memini: ſed hii retecto ſtatim errore, vel in fumum, vel in riſum abierunt. Vos veſtræ formidini vſque inhæretis, nec ab ea vel conſilio & ratione, vel Ducis autoritate & imperio, vel diſciplinæ militaris & ſacramenti, quo tenemini, reuerentia vos dimoueri ſinitis; planè vt militiæ electionẽ ignaviæ veſtræ prætendere videamini; pari inertia, qua in mari verſamini, in acie, ſi res poſtularet, verſaturi. Quumq; ſilentio defixi & veluti ſtupentes ſtarent omnes; Agedũ, inquit *Beliſarius*, veſtro huic tã inconſiderato timori hactenùs deferã, vt nuntios in Siciliã percontatũ & exploratũ mittam, qui de inani iſta Vandalorum claſſe certi aliquid ad vos referant. Vos tantiſper dum redierint expectate, & milites quiſque ſuos in officio continete. Mittuntur igitur extemplo exploratores; illi nullum Vandalorum ſcalmum toto mari Siculo per hos dies compariſſe referunt. Vbi confirmatos militum animos vidit, vanam eorum ſed jam excuſſam formidinem non vltrà probris exagitauit, ſed quam primùm venti addixiſſent, vela fecit. Nec tamen circumito Pachino promon-

promontorio, quod *Paſſaro* nunc dicitur, Lelibæum, quod *Capo Coci* nunc eſt, petiit, (vt Carthaginem petiturum facere oportuit) ſed relicto ad dextram Pachino, rectâ ad Melitam Inſulam nauigauit; A Pachino verò ad Melitam ducta linea, mare Tyrrhenum ab Adriatico diſterminat. Author eſt *Procopius*. Melita verò ad læuam relicta, & nulla nauicula in tot dierum itinere amiſſa, nec incommodo, niſi quod ex pane contigerat, accepto, leni ſed fauente Euro, ad Africæ littus, quinque dierum itinere à Carthagine ad Orientem poſitum, tertio jam menſe, ex quo Conſtantinopoli ſoluerat pœnè exacto, peruenit.

Cap. 37. Hîc priùs quam ſignũ terræ capiendæ daret *Beliſarius*, Nauarchos omnes & Ductores ordinum conuocari jubet; reſque in diſceptationem venit, illenè in terram excendendum foret, an alius ad terram capiendam opportunior quærendus locus? Nauarchorum magna pars, maris nauſeam pertæſi, eo ſententiis inclinabant, vt in terram primo quoque tempore deſcenderetur. Nec *Beliſarius*, quum militum ſtudia à naualibus certaminibus auerſa, ad Siciliam ſtans, perſenſiſſet, ab hac ſententia planè abhorrebat. Vnicus modo *Archelaus*, adoleſcens ſummo loco natus, & Quæſtor exercitui à *Juſtiniano* datus, pro reliquis, qui diuerſum ſentiebant, verba fecit: Quibus contendebat, nè alibi, quam in conſpectu Carthaginis exercitus exponeretur. Quippè deſertum & importuoſum hoc omne littus, & ſyrtibus vicinum eſſe, ob oculos proponebat. Si exercitum hîc in

Diſceptatio de terra in Africa capienda.

terram

terram expoſueris, quid, ô *Beliſari*, de claſſe fiet? ſubducíne, exercitu abeunte, hoc ipſo in loco naues? an in anchoris, dum res terrâ geritur, ſtare? an hoſtem in mare, hieme inſtante, quærere? an Byzantium reuerti? an denique, vt ſpes reditus, niſi victori, militi tollatur, ſubjectis ignibus incendi, aut quid denique (omnia enim variè verſando exigebat) de claſſe fieri placet? loci deindè, ſi in terram excenderetur, ſolitudinem, & vaſtitatem, commeatus penuriam, aquationis in arenoſo agro difficultatem ſuggerebat. *Beliſarius*, nihil offenſus admonitione tam clari adoleſcentis, ſed laudato ſtudio ejus paritèr & ingenio, vtpotè qui & liberè & non ſine ratione diuerſum à cæteris ſententiam tutatus fuerat, ſibi quidem ea omnia, quæ metuebat *Archelaus*, curæ fore reſpondit. Portum nullum toto illo tractu reperiri. Eſto: ſe caſtra naualia, quæ portus miniſteriuni præbeant, militari opere, ipſo loco, ſi è re fore videretur, effecturum. Sic *Agamemnonem* ad Troiam, ſic *Iulium Cæſarem* in Britannia, ſic alios ſæpè duces in cauſa pari factitaſſe. Ea verò vallo foſſaque munita, vel exercitui terra, vel claſſi in mare laboranti receptui fore, donec ſi non ipſam Carthaginem, ſaltem maritimam aliquam ciuitatem, Carthagini vicinam, Hipponem, Vticam, Tuneta, quarum omnium mœnia *Genſerichus* non ita pridem ſtulto conſilio demolitus fuerat, in poteſtatem redegiſſet. Claſſem enim tam alieno anni tempore (æquinoctium autumnale jam erat) importuoſo littore, in anchoris, dum res terra gereretur, ſta-

re, ne ſibi quidem placere dixit: Nedum eam (quod majore ſæpè animo quàm conſilio nonnulli fecerant) incendi pateretur. Nam quod exercitum non alibi quàm in Carthaginis conſpectu nunc deſcendere velit *Archelaus*, vtinam, inquit, tam forte conſilium, dum adhuc in Siciliæ littore pauidi hæſiſtis, placuiſſet. *Pachinum* circumuecti, & lecto, quod illud inter & Lelibæi promontorium jacet, Siciliæ latere, inde Carthaginẽ curſus & tutiùs multò & expeditiùs dirigi potuiſſet. Nunc autem, quum exercitum, poſt trimeſtrem nauigationem, nauſeantem habemus, & Africæ, quam petimus, littori inſiſtimus, rurſus vela ventis dare, & Carthaginẽ nari potiùs quàm terra quærere, cujus tandem ingenii eſſet? ſiue enim curſum tenemus, militem nauſea confectum, hoſti recenti & vegeto ſub Carthaginis mœnibus objiciemus; ſiue curſu depulſi, & aduerſis tempeſtatibus acti in aliena littora, nunquã forſitàn iterũ Africam viſuri, ejiciemur, quibus tandem oculis *Juſtinianum* Imperatorem reuerſi aſpiciemus? aut quibus perſuadebimus, nos conſilio potiùs & ratione, quàm metu Vandalorum & formidine, ab Africæ littore refugiſſe? Quoniam verò, quid fieri placeat, omnia variè verſando, exigis *Archelae*, ego non ſolùm quid facturus ſum, edere, verumetiam conſilii rationem quærenti reddere non grauabor. Viam, inquit, hinc ad Carthaginem juxta littus ferre vides. Ego exercitum hîc exponam, inde Carthaginem terreſtri itinere contendam. *Cleonymo*, vt claſſem juxta littus ducat, imperabo; vt

ſiue

siue classis exercitu, siue exercitus classe indiguerit, alter alteri inter proficiscendum subsidio esse possit. Vbi verò Carthaginem, Deo propitio, peruenero, siue vrbem, primo, quod spero, impetu cepero, siue in ejus obsidione paulisper hæsero, classem ibi occurrere jubebo. Neq; verò à classe Vandalica quicquam timendum esse censeo, quæ aut nulla plane est, aut certè non tanta, vt, viginti sociorum naualium, ex gentibus omni ætate mari assuetissimis electorum millibus, ei resisti non possit. Ne tamen classem sine milite reliquisse videar, binûm millium & quingentorum Sagittariorum auctarium classiariis adjiciam. Et cum dicto signum descendendi dari jubet. Milites ocyùs in terrá se ejiciunt; Castra, vt in hostili terra, eadem die egregiè muniuntur; dies vnus & alter, ad commeatum & arma exponendum, dati: tum milites corpora curare jussi. Vbi satis à fastidio ex diuturna nauigatione contracto recreari visi, *Belisarius Cleonymo* Carthaginem versus vela facere jubet; ipse eadem hora castra mouit. Interim speculatores emissi, qui palatos exciperent, & de Rege *Gilimere*, vbi esset, quidnè strueret, certiùs aliquid exquirerent. Reuersi referunt, Regem quatuor dierum itinere in Mauruſiorum regno abesse; sed quid ibi strueret, ignorari. Quo audito *Belisarius*, eò magis maturandum ratus, victoriæ spem in eo posuit, si prior Carthaginem præsidio vacuam occupasset. *Gilimer* verò, quum de *Belisarii* appulsu accepisset, misit extemplo ad fratrem suum nomine *Ammatam*, eiq; imperat, vt cum, quas habebat,

Belisarius in Africa terram capit.

bebat, copiis *Beliſario* in itinere, antequam Carthaginem peruenisſet, occurreret; ſe ponè cum exercitu ſequuturum; vt Romanus, à fronte & à tergo hoſtibus, à dextra læuaque hinc mari, illinc Africæ ſolitudine concluſus, nec pugnæ, nec effugii locũ inueniret. Nec aliter cecidiſſet res, niſi Dei benignitate *Beliſarius* præſenti periculo, tanquam incendio, ereptus, pro victoria ſuam & ſuorum vitam retuliſſet. Quæ res hoc modo accidit: Prior *Ammatas* Regis frater cum exercitu occurrit, dumque primis ordinibus inter confertiſsimos hoſtes fortiſsimè rem gerit, telo ictus cadit: Nec cõporis cæſi recipendi ſuis, vel facultas, vel cura erat; id modo agebant, vt pugnam in aduentum *Gilimeris*, qui non procùl aberat, extraherent. Itaque ſeruatis ordinibus retrò cedebant Vandali. Jamque *Gilimer* in eo erat, vt extremum hoſtium agmen carperet, quum ſubitò triſte ſpectaculum, jacentis fratris corpus, vidit. Quo conſpecto ad luctus & funera conuerſus, omiſſa pugna, abiit. Quum ſi importunam hanc in fraternos manes pietatẽ ad tempus diſtuliſſet, & regnum ſuum conſeruaſſe, & fratri inferias, Romani exercitus internecione, tuliſſe potuit. Sed hac ejus fuga perſpecta, alter etiam exercitus, tanquam à Rege ſuo deſtitutus, ruptis ordinibus, & abjectis armis, intima Africæ loca petiit. *Beliſarius*, quum omnia circà loca hoſte vacua cerneret, Carthaginem, vt inſtituerat, contendit; de qua facilem & incruentam victoriam reportauit: Nam neque operibus munitiſſima, nec vllo præſidio militum

firmata

firmata erat; &, ſi quid ad repugnandum animi ciuibus ſupererat, id omne, partim nuntiatâ *Gilimeris* fugâ, conciderat, partim recitatis *Iuſtiniani* litteris, quibus ſe *Beliſarium*, ad liberandam à Vandalorum tyrannide Africam miſiſſe ſignificabat, ad Imperium accipiendum conuerſum fuerat. Itaque vrbe à ciuibus ſummo omnium ſtudio receptus, in palatium *Gilimeris* venit, ſolioque Regis victor conſedit. Poſtero die *Calonymus*, quum *Mercurii*, quod dixi, Promontorium ſuperâſſet, quid Carthagine contigiſſet inſcius, cum claſſe rectâ ad portum Mandracium contendit. Carthaginenſes ferream, qua portus claudebatur, catenam venienti ſubmittunt, eumque cum claſſe intus recipiunt. Claſſiarii verò, veluti ipſi primùm vrbem aggreſſi expugnâſſent, ad prædam conuerſi, omnia hoſtiliter diripuerunt. Qua de re certior factus *Beliſarius*, rem grauiter tulit, & vt temerè factam ad ciues excuſabat; prædam verò omnem, læſis vt reſtitueret, *Calonymo* ſeueriſsimis verbis imperauit: nec eò contentus, jurisjurandi etiam religione palàm aſtrinxit: Quibus omnibus ſpretis, *Calonymus*, proxima nocte, clàm *Beliſario*, cum præda omni Conſtantinopolim aufugit. Vbi paucos poſt dies mortem, quam legibus debebat, naturæ, ſed iratæ, per mille cruciatus perſoluit. Nec ita multò poſt ipſe *Gilimer* è fuga retractus ad *Beliſarium* adducitur. *Beliſarius* victoriæ compos, quum ſe tanquam regnum Africæ affectantem apud *Iuſtinianum* ab inuidis premi non ignoraret, quò eam ſuſpitionem factis potiùs quàm

verbis dilueret, relicto ad reliquias belli perſequendas *Salomone* Duce, cum parte claſsis Conſtantinopolim reuertitur, & *Gilimerem* captiuum *Juſtiniano* tradidit. Imperator *Beliſarium* omni honorum genere & ampliſsimis elogiis proſequutus, eum repetito veterum Romanorum more triumphare juſsit. *Gilimer*, quum de claſſe Romana aduentante famam inaudiſſet, Legatos propere in Hiſpaniam miſerat, qui ſubſidia à *Theudo* Viſigothorum Rege peterent. Tardiùs hii, quàm rei neceſsitas requirebat, in Hiſpania appulerunt; fortéque accidit, vt, quo die *Beliſarius* Carthaginem ingrederetur, nauis quædam è portu ſoluens, portum in Hiſpania pridie teneret, quàm *Gilimeris* Legati ad Regem venirent: ex ea aliquis de ſtatu rerum, quæ Carthagine contigerant, omnia Regem edocuerat. Rex rem ſilentio premi juſsit. Poſtero die, quùm Legati ad Regem introduci obtinuiſſent, *Gilimeris* mandata expoſuerunt; Graue ſibi bellum ab Oriente inſtare; Si ſucceſſerit, facilè in Hiſpaniam veluti incendium tranſiturum; Fœdus, amicitiam, militem denique & pecuniam petunt. Quumque *Theudas*, ſatin' ſaluæ Carthaginis res eſſent, interrogaret, illi non modò ſaluas, verumetiam ſoſpites & florentes eſſe reſponderunt. Atqui, inquit *Theudas*, non ſatis de rerum veſtrarum ſtatu inſtructi ad me accedere videmini. Reuertimini igitur, & vbi certiora omnia exploratioraque habueritis, ad me redite. Legati ſe à Rege eluſos exiſtimantes, ſeq; ad eũ, quũ ſeriò legationes audire cœpiſſet, reuerſuros

ſuros dictitantes, abeunt. Quum verò Carthaginem veniſſent, ibi omnia hoſtium plena, & *Gilimerem*, non jam Regem, ſed captiuum, & in *Beliſarii* poteſtate poſitum repererunt. Hæc rerum humanarum viciſsitudo eſt, & erit. Hic Regni Vandalici, in Africa, quum per nonaginta quinque ſtetiſſet annos, finis fuit, Anno Redemptionis noſtræ per Chriſtum, quingenteſimo triceſimo tertio; Anno, ſi quis alius, multis magniſq; rebus geſtis memorabili. Hoc enim anno, pax inter Perſas & Romanos inita. Hoc, Lybia, tertia mundi pars, Romano Imperio reſtituta. Hoc Juris ciuilis corpus (opus toties in præcedentibus Imperatoribus nequicquam tentatum) in lucem editum, & perpetuam firmitatem obtinere juſsum. Hoc eodem anno, Conſulatus Romanus, quum per mille quadraginta durâſset annos, dejecto per Gothos, omnia jam in Italia obtinentes, *Paulino*, finem cepit. Nam quod nonnulli æram Chriſti, à *Dionyſio Exiguo* Abbate Romano inſtitutam ad hunc ipſum annum referunt, in eo quidem, vt puto, errant. Anno enim antè compoſitam fuiſſe, ex *Beda* noſtratis autoritate conſtat. Sed non ſine numine contigiſſe puto, vt vnius viri ingenio & ſtudio reperta, & in lucem edita Chriſti ſeruatoris noſtri ærâ, altera illa per Coſs. temporum digerendorum ratio, quæ tot annos obtinuerat, conticeſceret.

Annus æræ Chriſtianæ 533.

Libri ſecundi finis.

THO. RIVII

HISTORIÆ NAVALIS MEDIÆ, LIBER TERTIVS.

Argumentum.

HIC *Liber cauſam belli a Juſtiniano aduerſus Gothos in Italia ſuſcepti continet. Beliſarius claſſe in Italiam profecturus, in itinere Siciliam, dejectis Gothis, occupat: Italiam ingreſſus, Romam belli ſedem facit. Vitiges Romam obſidet. Portum Romanum vrbis horreum, capit: eum poſtea Beliſarius recipit. Beliſarius mare tenendo vniuerſam Italiam fame premit. Totilas Rex à Gothis electus claſſem parat; Romanos mari pellit. Juſtinianus parum vtiles bello Duces claſſi præficit, Totilas Demetrium naufragio ejectum ad Neapolim capit. Totilas Portum terra marique obſidet. Beliſarius Portum claſſe petit. Totilas Tiberim injecto ponte munit: eum Beliſarius expugnare nititur; ſed fortuna deſtituitur. Totilas omnes maris Tyrrheni inſulas occupat. Johannes*

in Italiam missus, victoria nauali, ad Anconam potitur. Narses in Italiam mittitur. Victoria nauali contra Hunnos ad Constantinopolim parta. Longobardi à Narsete in Italiam vocantur: quorũ aduentus Venetorum vrbi nouam crescendi causam dedit. Heraclio imperante exoritur Mahometes. Mahuia Saracenus Rhodum expugnat: Insignis victoria nauali per Olympiũ Exarchum Ravennæ aduersus Mahuiam parta. Mahuia Aradum insulã expugnat. Classis Saracenica ad Tripolim incenditur. Constans Imperator grauiclade nauali à Mahuia afficitur. Constans contra Longobardos in Italiam vela facit. Mahuia Constantinopolim mari obsidet. Iustinianus secundus Cypro Saracenos pellit: ipse ab Imperio à Leontio depellitur, restituitur: apparatus ejus nauales, & varii in mari casus, & demum cædes. Creta à Saracenis occupatur; à Basilio Imperatore recipitur. Narsetis virtus. Procopii & Leonis Ducum naualium dissidium. Danorum siue Normannorum in omnem Europam maritimi incursus. Temporum circa annum Domini nongentesimum, confusio. Venetiæ ab Othone obsidentur. Vrseoli Ducis Veneti virtus, & Narentanorum status ab eo eversus. Venetorum in freto Adriaco dominium. An mare dominio teneri & possideri possit. Dẽiq; de Edgari Regis in mari copiis & potentia, hoc in libro agitur.

CAP.

CAP. I.

VAndalicum in Africa excepit Gothicum in Italia bellum. Gothos enim jam antea, Imperante *Honorio*, Italiam magna parte occupaſſe, ejuſque conſiliis inde demum ejectos in Hiſpaniam abiiſſe dixi. Quo defuncto, *Odoacer* Rugiorum (qui & ipſi, vt autor eſt *Procopius* gens Gothica erant) Rex, in Italiam venit; dejectoque *Auguſtulo*, Imperatorum Romanorum vltimo, Italiæ regnum inuaſit. Idque anno ſalutis per Chriſtum reparatæ quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo contigiſſe traditur. Sub eodem verò tempore Oſtrogothi, qui Thraciam ſiue Myſiam Inferiorem ſub Imperatoribus Græcis longo tempore tenuerant, Regem nacti *Theodoricum*, virum omnibus animi, corporis, fortunæ dotibus inſtructiſſimum, cum viris & mulieribus, & vtriuſq; ſexus infantulis, bonis, quæ vel agi vel ferri poſſent, abductis, quæ non poſſent, diuenditis, migrationem è Thracia, Italiam petentes, faciebant. Quumq; per Macedoniam ad Sinum Adriacum peruc-

 niſſent,

niſſent, nec claſſem ibi ad tranſmittendum inuenirent, continuato itinere ſupra Venetos in Italiam deſcenderunt, & *Odoacrum*, Italiæ tum Regem, Rauennæ mœnibus incluſum toto triennio obſiderunt. Tandem verò, pace facta, Regnum Italiæ inter ſe partiti ſunt *Theodoricus* & *Odoacer*. Sed *Theodoricus*, regio mox ingenio vſus, conſortem ad cænam inuitatum ſuſtulit: partum tamē per ſcelus regnum, triginta & octo annos nec inſtrenuè nec infæliciter adminiſtrauit, multaſque & illuſtres de Gallis & Francis victorias reportauit. Decedens verò nepotem ex filio *Euthorico*, nomine *Athalaricum*, impuberem ſub regimine & tutela *Amalaſunthæ* matris ad fælicis ſucceſſionis ſpem erudiendum reliquit: fœminæ ſupra ſexum fortis, prudentis, bonæ. Hæc pupillum ea cura habuit, vt dignum patre Regem Gothis datura videretur: & dediſſet, niſi gentis fortuna in faſtigio jam rerum poſita ipſorum vitio ad terram præceps reuoluta cecidiſſet. ægrè quippe ferebant Gothi, *Theodorici* nepotem ſub tutoribus & pædagogis & muliebri imperio enutriri: quin potiùs more Barbarico potare, ſcortari, ludere aſſueſceret: quibus rebus effectum eſt, vt Adoleſcens remotis Cuſtodibus, matrem minùs minúſq; indies curaret, & ſana ejus conſilia ſperneret, ſuoq; & gentis vitio in omnem libidinem effuſus rueret. Itaq; potationibus & ſcortationibus prima ſtatim pubertate deditus, ea nondū exacta, totis artubus debilitatus periit. Qua re præuiſa, *Amalaſunthæ*, quoniam Regno conſulere non valuit, ad Imperatorem *Juſtinianum* fi-

Odoacri. cædes.

Athalaricus

fidiſſimũ ex amicis vnum ſub ſpecie quidem legationis miſit, ſed qui re vera priuatim ſibi, quic quid poſt mortem filii accideret, præſidium peteret, Regnum Italiæ, ſi quid filio ſuo humanitùs contigiſſet, Imperatori in manus ſe viciſſim traditurum pollicita. Erat eodem tempore quidam nomine *Theodatus*, *Theodorici* ex *Amalefreda* ſorore nepos: vir prouectæ jam ætatis, & litteris Platonicis ab ineunte ætate multùm deditus, ſed pecuniis per fas & nefas coaceruandis, magis. Itaq; multa auarè, multa crudeliter in clientes, quos tota Tuſcia multiplices habebat, perpetrabat. Qua de re certior facta *Amalaſuntha* hominẽ viuo adhuc *Athalarico* ad ſe accerſiit; & quà monendo, quà minando id agebat, vt eum ad meliorẽ frugem reuocaret. Hæc contumelia altiùs, quàm putabatur, in Platonici hominis animũ deſcendit. Itaque quum animo jam ſtetiſſet muliebre imperiũ amplius nolle pati, fortè accidit, vt Imperator *Juſtinianus* nuntios quoſdam ad Epiſcopum Romanum de rebus ad Religionem pertinentibus mitteret. Cum hiis *Theodatus* priuatim agit, vt fide ab Imperatore certis conditionibus accepta, traditaque Imperatori in manus Thuſcia omni, ipſe bonis ſuis Conſtantinopolim tranſuectis, cum patriciatus honore ibi frueretur: idq; ei facere planè in animo erat: ſed *Athalarici* mors, conſiliorum omnium, tam *Amalaſunthæ* quàm *Theodati* ordinem turbauit, & omiſſo jam vterq; *Juſtiniano*, imperium ad ſe trahere feſtinabat. Prior *Amalaſuntha*, quàm ipſa contumeliarum, quibus *Theodatum* affecerat, immemor erat, tam

sum oblitum fore rata, prauo consilio vsa, hominem accersiit; egitque cum eo, vt quandoquidem genere proximus filio suo jam defuncto esset, sed litteris & otio quam rebus gerendis potior, nomen ille regni in se assumeret, rerum verò administrandarum curam sibi, quantumuis mulieri, attamen in Repub. tractanda multis jam annis exercitatæ permitteret. Enimuerò *Theodatus*, gratias agere, nihil recusare, id modò vereri, nè ipsum regni nomen quantumuis inane plus sibi quàm vellet negotii faceret, animumque philosophiæ vnicè intentum à studiis auocaret. Contrà, *Amalasuntha* metum demere, solari, & eam rem sibi curæ fore dicere, sat oti, nedubitaret, habiturũ; & laudare subinde viri propositum: cumque duo summa essent in rebus humanis veluti fastigia, imperii majestas, & Philosophia, hoc nimirum illo celsius longè & præstantius, rectè res æstimantibus esse affirmare. Itaque inuito & reluctanti purpuram induit; qua accepta, *Theodatus* philosophum confestim exuit, & primo quoque tempore *Amalasunthan* a rerum administratione depulsam sub arctissima custodia carcere inclusit; quumque *Justinianum* Imperatorem pro mulieris salute & libertate intercessurum non ignoraret, ne esset pro qua intercederet, eam immissis percussoribus è medio sustulit. Id satis *Justiniano* causæ visum, cur bellum internecinum cum Gothorum gente in Italia gereret. Duplicem deinde classem armat, quarum *Belisario* alteram, alteram *Constantiano* tradidit; imperat *Constantiano* vt Sa-

Amalasuntiæ cædes.

Belli Gothici causa.

Ionas

lonas in Dalmatia peteret, Gothosque inde,& è toto Illyrico pelleret, vel saltem ita distineret, vt ne suppetias *Theodato* contra *Belisarium* ferre possint. Id *Constantianus* impigrè executus & portũ Salonitanum cum classe ingressus, non magno conatu vrbem cepit, totamque Dalmatiam & Liburniam, pulsis inde Gothis, Romano imperio restituit.

Belisarius in Italiam intentns cum quinque non amplius millium exercitu vela facit. In itinere ad Catanam in Sicilia, quam omnem Gothi tum tenebant, descendit: vrbem capit; inde Syracusas cum classe & exercitu cõtendit; eaque vrbe, minore multò quàm sperari poterat, conatu potitur. Quarum duarum vrbium fortunam reliquæ per Siciliam omnes sequutæ quasi fatali quadam rerum inclinatione à Gothis ad *Belisarium*, tanquam ad inuictum bello virum,desciuerunt: sola Panormus aduenienti & portus & portas clausit. *Belisarius* ne terrestrium copiarum tenuitatem proderet, mare rem aggreditur; portuque perfracto, mœnia subit. quumque altiores essent ea parte muri quàm vt è nauibus conjici in propugnacula tela possint, nec tabulatis & turribus,quas nauibus imponeret,extruendis materia suppeteret, nouo & expedito inuento animum adjecit:lembos milite completos ad fastigia malorum funibus suspendit. Hii turrium vicem præbuerunt: inde milites muros defensoribus nudabant, & vrbs vno impetu capta, nihil non *Belisarii* armis peruium esse Siculis ostendit. Rebus in Sicilia constitutis, *Belisarius* classe ad

Cap. 2.

Sicilia à Belisario occupatus.

Panormus capitur.

Messanam conuenire jussa, inde Rhegium transmisit. nec pugna hactenus opus erat: certatim omnes aduentum gratulantur: siue Ducis id famæ datum, siue odio Gothorum contigit. Lætus hiis rerum initiis *Belisarius* Romam cum exercitu ire pergit, classe juxta sequi jussa. Nec tam longinquum in hostili terra iter emensus, vllum priùs hostem vidit quàm Neapolim peruenit; ea prima Ciuitas valido Gothorum præsidio freta venienti portas clausit, & obsidionem omnibus belli & oppugnationis artibus exercitam magna virtute tolerabat. Cui cum *Theodatus* Romæ desidens subsidium non pararet, Gothi eam non ignauiam sed proditionem, & voluntariam cum *Justiniano* conuentionem esse interpretati, illum immissis percussoribus obtruncant, & *Vitigem* è suo corpore hominem, sed virtute bellica, quam natalium splendore commendatiorē Regem creant. *Belisarius* verò capta Neapoli, confestim Romam cum exercitu contendit; ejectisque inde Gothis, eam belli sedem delegit; & ad obsidionem quantumuis diutinam tolerandam operibus muniuit. Quod vt fieri sensit *Vitiges*, statim cum centum quinquaginta militum exercitu Romam venit, eamque septenis castris obsessam aliquandiu tenuit: sed tanta erat in *Belisario* animi ingeniique vis & vigilantia, vt nullis vnquam vel rerum difficultatibus cederet, vel occationibus aut hostium pateret, aut deesset suis: rem verò frumentariam ex Sicilia ad Portum magna semper copia comportari curat. Quum verò continuis præliis quantumuis pro-

speris

ſperis, ſuum carpi exercitum, & paulatim minui animaduerteret, militū turmas ex præſidiis vndiquaque, adeoque ex ipſo, per imprudentiam, Portu ad Romam tuendam euocat. Id conſpicatus *Vitiges* cohortes quaſdam ad Portum nullite jam vacuum occupandum mittit: miſſi quum aduenissent, locum nullo reſiſtente capiunt. Id ægerrimè ferre *Beliſarius*, culpamque agnoſcere, ſed quam eadem rei neceſſitas, quæ expreſſerat, excuſabat. Itaque Portu Romano excluſus, Antio, vrbe viginti milliaribus à Roma diſſitâ, non ſine magnis difficultatibus, pro portu vti ad tempus neceſſe habuit: Hoſtiamq; interim ciuitatem, Portui Romano ex aduerſo poſitam munire, & antiqui portus veſtigia ſcrutando, locum ad naues vtcumque ſubducendas commodum efficere cogebatur. Cui rei eò enixiùs operam dabat, quòd ſuppetias ſibi ab Imperatore miſſas partim ad Hydruntem in Calabria, partim ad Neapolim ſtare intellexerat. Quarum rerum famam vetus Dux ſermonibus in majus ad populum diuturna obſidione feſſum, & vel pacem vel pugnam in remedium mâlorum poſcentem, extulit: Claſſem & exercitum toto orbe contractum, cum, qui tribus exercitibus ſatis eſſet, cō meatu ab Imperatore miſsū aduentare, & tota Campaniæ, tota maris Jonici littora nauium multitudine compleri ſubinde jactitans. Quæ res ad ciues conſolandos & in officio continendos ſolerter vulgata, quum ad hoſtes etiam permanaſſet, eos ingenti terrore perculit. Itaq; *Vitiges* legatos confeſtim ad *Beliſariū* de pace, aut ſi ea non ſuccederet, de induciis faciendis

endis mittit. *Beliſarius*, quum Portu amiſſo fruſtra ſibi copias mitti intelligeret, ad quas alendas commeatum aduerſo flumine ſubuehi, manente bello, non poſſe cerneret; de induciis haud abnuere; pacem verò ſi vellent, eam ab Imperatore per legatos petendam eſſe dixit. Non quòd ipſe belli paciſq; arbitrium non haberet, aut pacem niſi victis dari vellet; ſed vt illo inducíarum tempore ad commeatus vrbi obſeſſæ inferendos abuteretur. Trium igitur menſium induciæ petentibus conceſſæ, & itineris comites ſeu potiùs cuſtodes legatis ad Imperatorem proficiſcentibus dati. Dum hæc geruntur, claſſes & ab Hydrunte & à Neapoli Hoſtiam veniunt; ibi milites, impedimenta, commeatus expoſiti, & aduerſo flumine, partim ventis, partim hominum jumentorumque viribus ad vrbem ſubuecti; Gothis interim ſilentibus: ſiue id inducíarum religione factum, ſiue quòd ſpem pacis interrumpi nollent. Jamque *Beliſarius* non ſolùm ad obſidionem tolerandã, verùm etiam ad confligendũ affatim inſtructus, inducíarũ exitũ expectabat: quum ei affertur, Portum Romanum à Gothis ob famem deſertum, & præſidio penitùs eſſe deſtitutum. Qua re intellecta, extemplò *Paulum* Hoſtiæ præfectum tranſmiſſo Tiberi Portum occupare juſſit: quumque *Vitiges* de Induciis turbatis apud eum per legatos quereretur; reſponſum tulit, *nihil fœdere Inducíarum de locis derelictis cautum eſſe*: quo titulo & Centumcellas maritimam etiam ciuitatem, aliaque Gothorum loca munitiora cepit, & præſidiis,

Portus à Beliſario recipitur.

nondum

nondum exacto Inducíarum tempore firmauit : planè vt jam Gothi non tam Romam obſidere, quàm ipſi obſidionem ſub mœnibus Romanis pati viderentur. Jamque Inducíarum tempus exceſſerat, quum pars vtraque, non expectato legatorum reditu, bellum parat. *Vitiges* prior : qui per Induciarum tempus quoſdã ex *Beliſarianis* ſollicitatos, ad vrbem ſibi, ipſa quæ Inducias ſequeretur nocte, tradendam, traxerat. Sed fruſtra. *Beliſarius* verò, quod jam antea animo agitauerat, Ariminum (quam *Rimini* nunc vocant) in agro Piceno non procul Rauenna vrbe, vix dum finito Induciarum die, occupat : Quæ res tanti fuit, vt Gothi ſtatim de ipſa Rauenna ſolliciti, obſidionem vrbis *Rauennæ* ſoluerent. Hæc obſidio annum & nouem dies tenuit, quo tanto tempore, vix dies vlla, præterquam Induciarum tempore, ſine conflictu abiit ; eo partium ſucceſſu, vt Romanis, quamuis numerus non mediocriter minueretur, animi tamen in dies fiducia creſcerent, Gothis verò & vires & ſpes caderent. *Beliſarius* abeuntes in anguſtiis nactus, magnam illis ſtragem intulit : inde ad reliquam Italiam perdomandam conuerſus, Mediolanum, Auximum reliquaſque vrbes vel ſe dedentes recepit, vel reſiſtentes vi expugnauit ; donec ad extremum, *Vitigem* ipſum Rauennæ ineluſum obſedit, ſeque cum omne Gothorum gaza dedentem cepit. Quibus de rebus certior factus *Juſtianus*, *Beliſarium* extemplò Byzantium reuerti juſſit. Duo erant quibus *Beliſarius* toto hoc bello graſſabatur ; ferrum & fames : è quibus fames

Romæ obſidio ſoluitur.

Vitiges ſe dedit.

fames tanta per vniuerſam Italiam non in Gothorum caſtris modò & præſidiis, verùm etiam in agris fuit, vt multa & horrenda hominum homines, matrum filios, mulierum viros deuorantium, exempla paſſim ederentur: quam illis famem *Beliſarius* mare tenendo fecit; nam vt ipſe ſuis è Sicilia, Dalmatia, totaque Græcia annonam abundè ſuppeditabat, ita Gothos ab omni à mari commeatu excluſit: nullam enim *Vitiges* rei maritimæ vel facultatem vel curam habuit. *Beliſarius* Conſtantinopolim reuerſus non eodem vultu quo priùs ex Africa rediens, ab Imperatore excipitur; ſiue quòd *Juſtinianus* eum à Gothis Italiſque in Regem communiter enixeque & ſæpè poſtulatum fuiſſe acceperat, ſiue quòd *Vitigem*, ſua potiùs ignauia deditum quam bello fractum, parum dignum populo ſpectaculum eſſe judicabat.

Cap. 3. Et verò digreſſus *Beliſarius* bellum tam integrum in Italia aduerſus Gothos, quàm quo primum die illam ingreſſus eſt, reliquit: ſiue quòd alterum jam Regem captiuum vtcunque traxiſſe, ſatis ſibi ad gloriam eſſe putabat, ſiue quod tantillis copiis ad Italiam obtinendam ampliùs fidere non audebat. Nam ne quid ei vitio verteretur, mandatum Imperatoris, quo Prouincia decedere juſsus eſt, omni excuſatione maius erat. Digreſſo igitur cum *Vitige Beliſario Ildeprandus* juſſu populi Regnum ſuſcepit. cui paulò poſt per quendam nomine *Bellam*, ob priuatam injuriam cæſo ſucceſſit *Ataricus*; eo vero paucis poſt diebus ſublato, *Totila*, *Ildibaldi* nepos, cõmuni populi Gothici conſenſu regnum accepit.

accepit. Hic ſtatim belli rationē mutauit; quāq; rem *Vitiges* magno ſuo incōmodo neglectui habuerat, eam ille ante omnia curandam cenſuit: Primoq; ſtatim ingreſſu validam claſſem cōparauit; nihil actum ratus, niſi quam primùm, & Romanos toto mari pepuliſſet, & Siciliam, hoſti ademptam, in poteſtatem ſuam redegiſſet. Interea temporis à Romanis Ducibus quos *Belizarius* reliquerat, res quàm ſegniter aduerſus hoſtes tam aduerſus ciues improbè & crudeliter adminiſtrantur; vndecim jam pro vno erant Romanorum Duces; quorum neuter alteri parebat, nec in commune quicquam conſulebant, ſed militum libidini omnia permittebant. Quorum ſi quis forte ſtupris aut rapinis obuiam iiret, *non ſoluta ſtipendia* ſtatim audiebat. Denique nihil ſanctè, nihil ſtrenuè, nihil pro more militari apud Romanos gerebatur. Quibus de rebus certior Imperator factus, errorem faſſus, quod *Beliſarium* tam præcipiti conſilio, nec dum rebus in Italia conſtitutis, reuocaſſet, non tamen vt eundem, vnicum bello virum, remitteret in animum induxit, ſed quendam nomine *Maximinum*, cum Claſſe è tota Gracia contracta, & exercitu ad bellum perſequendum cum Imperio miſit; hominē, imbellem, inertem, non animo, non vſu fretum. Is quam primùm in vltimo Italiæ angulo terram cepiſſet, ſuæ ignauiæ conſcius, Claſſem ſtatim ſubduxit; pedem inde non moturus, ne uno forſitan veſtigio hoſti propior fieret. Deinde *Juſtinianus* alium quendam nomine *Demetriū*, ducem haud indecorem, & multis ſæpe præliis terra marique *Demetrius Nauarchus*

ſub

ſub *Beliſario* exercitatum, cum alia Claſſe in exercitu miſit: eo Conſilio, vt dum *Maximianus* res terra gereret, ipſe mare cum imperio teneret. *Demetrium* quum Siciliam attigiſſet, quo in ſtatu res Neopolitanæ erant intellexit. Etenim *Totila* profligatis aliquoties Romanorum, vt quemque aſſequebatur, ducibus, per totam Italiam cum victore exercitu volitabat; oculos vero omnium tanto non virtutis modo bellicæ, verum etiam clementiæ in deviſtos, & juſtitiæ in omnes fulgore perſtrinxerat, vt cum flagitioſis Romanorum Ducibus collatus, vnicus in terris vir cælitùs ad Italiæ tutelam demiſſus videretur. Is cæteris penè omnibus vrbibus vel vi captis vel conditionibus receptis, Neapolim, cui tum non contemnendus Dux, *Conon* præerat, arctiſſima obſidione cinxit, *Demetrium* animo anxius, quod nec ad obſidionem ſoluendam, nec ad opem omnino obſeſſis ferendam ſat virium haberet, omnes tamen ex Sicilia naues contraxit; iiſque ſociorum nauali, quantum ad eas nauigandas ſat eſſet, impoſuit. Saltem vt aduenies ipſa multitudine & auxiliorum opinione hoſtem eludere & terrere poſſet. Quæ cum eum fefelliſſet ratio, nec vllam in caſtris Gothicis motum ſentiret, vrbe Neapoli præternauigata, Portum Romanum petiit, ſpe ductus, poſſe ſe aucto demum eo loci exercitu, obſeſſis ſuppetias ferre; idque, quum ad Portum appulliſſet, ſummo ſtudio agebat: ſed neminem toto illo tractu inuenit qui ſe Romanorum militiæ aſcriberet. Siue id militum ducumque Romanorum odio, ſiue *Totilæ* metu

Totilæ virtus.

&

& reuerentia factum erat. *Conon* quum rerũ inopia magis magisque in dies premeretur, nuntium per medias hostium stationes ingenti periculo ad *Demetrium* in Portu Romano adhuc hærentem misit. *Demetrius* nihil vltra cunctandum ratus, cum Classe Neapolim redire parat. Qua de re certior factus *Totila*, & ipse cum Classe instructa non procul Neapoli improuiso occurrit, primoque impetu classem *Demetrianam* auertit. Non Dux, non miles pugnæ memor fuit: vna salutis via erat, si è nauibus in Ilẽbos desilire possent. lembo *Demetrius* exceptus fugit. Vniuersa Classis in hostium potestatem venit; militum & sociorum naualium, pars gladio cæsa, pars mari submersa periit. *Demetrius* fuga abreptus ad *Maximinum* Hydrunti sedentem contendit, eumque impulit, vt si minus terra rem gerere placeret, sua saltem Classe ad Italiam retinendam ab Imperatore missa, Neapoli obsessis auxilium ferret; multisque tandem rationibus peruicit, ut Syracusas in Sicilia peteret; quò cum peruenisset, nulla vi moueri potuit, vt inde oram ipse solueret. Classem tamen *Demetrio* tradidit, isque Neapolim contendens, cum valida tempestate in itinere aliquamdiu conflictatus, ad extremum vi ventorum victus, Africo impellente, cum vniuersa Classe in littus Italicum inter medias hostium stationes ejicitur. Ingens strages in ejectos edita est. *Demetrius* viuus in *Totila* potestatem venit, qui injecto collo captiui reste ad mœnia Neapolitana vinctum traxit; populumque in hanc sententiam affari jussit: Duabus jam Classibus

Demetrii Classis oppressa.

Demetrius à Totila capitur.

Claſſibus, altera prælio, altera tempeſtate amiſſis, nihil Imperatori ſupereſſe virium, quibus vrbi auxilio eſſe poſſet: proinde victas victori manus darent; ejuſque clementiæ demum ſe permitterent, cujus vim vltra ſuſtinere non poſſent. Qua viri oratione, & deformi inſuper, quo tunc aſtabat, habitu commota vniuerſa ciuitas ad ejulatus & lachrymas conuerſa, pectora tundere, crines vellere & capita offenſare cæperunt. *Totila* quum inter tot lamenta & fletus nullam de pace, de deditione mentionem nullam excidere animaduerteret, veritus ne dolor iſte in deſperationem & furorem verteret, ad muros ipſe acceſſit, factaque dicendi poteſtate, orationem habuit, non ira eam & opprobriorum plenam, ſed, Arrianus quamuis & barbarus eſſet, ea pietate, ea modeſtia, & tam juſtis rationibus ſubnixam, vt non obſidione, non fame & inedia preſſos, ſed in plena libertate, & rerum omnium affluentia poſitos, ab Imperio Romano auulſos ad ſe pellicere & attrahere potuerit. Auaras Romani militis manus, profuſas libidines, injuſta imperia, inaudita flagitia, muliebrem timorem & ad quorumuis armorum vel ſonitum vel conſpectum fugam; ſuam vero contra & Gothorum moderationem, juſtitiam, continentiam, fidem, virtutem, arma, victorias, & perpetuam in præliis felicitatem, vera omnia, & obſeſſis non cogitatione ſed ſenſu, non auditu ſed viſu, non leuiter inſpecta ſed penitus explorata eis ad memoriam, eo verborum flumine, ea animi fiducia reuocabat, vt interloquendum arma audientibus

dientibus penitus è manibus exciderent. Triginta modo dierum inducias pacti sunt : infra quos si suppetiæ ab Imperatore non mitterentur, dedituros se pollicentur. *Totila*, vt fiduciã ostenderet, tres menses dedit. At obsessi fame prius & rerum omnium inopia, nunc verò fide & clementia hostis victi, non expectato Inducia-rum decursu, paucos post dies se dedunt. Enimverò *Totila* ea clementia deditos habuit, non vt victorem in eos, sed vt parentem ageret, ea cura viuos conseruando, vt defunctos si posset ad vitam reuocare se velle fidem faceret. Inde ad Romam obsidendam se vertit.

Hiis rebus cognitis *Iustinianus Belisarium* è Media, vbi contra Persas bellum ingenti cum gloria tum gerebat, reuocatum iterum in Italiam misit; sed nec armis, nec pecunia, nec milite instructum; itaque frendens eò abit *Belisarius*, per superiora Macedoniæ loca Dalmatiam & Salonas ad mare Adriaticum positas petens. In itinere ad quatuor millia hominum collegit, quos nauibus impositos Rauennam transvexit. *Totila* quùm *Belisarii* vires, quam essent exiguæ, intellexisset, facile eum Rauennæ torpescere patiebatur. Ipse interim Romam obsidione premit. *Belisarium* vero nouus repente circumstetit terror. Pars major exercitus, miles Illyricanus erat. Quare animaduersa, *Totila* facili linguæ cõmercio cum iis per occulta colloquia agit, vt copias inde abducant. Præsentẽ rerũ Romanarum statũ, quamq; essent infirmæ ex inermi *Belisarii* in Italiam reditu remonstrat: contrà, quam florentes Cap. 4.

& validæ Gothorũ tum vires eſſent, ipſos cernere; nec ſe illud petere, vt arma in Romanos verterent; bellum modò non ſuum ne gererent: domum redirent, bello in Italia finẽ non bellando ſed abeundo impoſituri. Illyricani, quum & vera eſſe quæ à *Totila* proponerentur non ignorarent, & ducum Romanorum auaritiam, libidinem, reliquæque vitæ nequitiam, & toto quinquennio non ſoluta ſtipendia, & Hunnorum illo ipſo forte tempore, tranſmiſſo Danubio, in Illyricum irruptionem factam, animis reputarent, accepta quam pepigerant mercede, ſignis repente ſublatis abeunt; Cauſam requirentibus, & per quicquid ſanctum eſſet vt manerent obteſtantibus reſpondentes, non ſoluta ſibi eſſe ſtipendia. *Beliſarius* poſtquam ſocios nec vi nec precibus retineri poſſe, & quotidiana per eandem cauſam ad hoſtem transfugia fieri animaduertit, veritus ne res, ſi iiſdem in caſtris maneretur, ad vniuerſam defectionem verteret, ocyus Rauennã mouendum ratus, Pyſaurum contendit; hucque & illuc per Italiam vagatur, id modò ſollicitus, ne quà æquo in loco hoſti ſe præberet. Interim Romæ, non obſidione modò, verumetiam fame laboratur. Totam enim ferè inter Siciliam & Portum Romanum viam *Totilas* claſſibus ſic inſederat, vt ne tantillum quidem frumenti, aut cujuſquemodi commeatus inde Romam ſubuectari poſſet.

Cap. 5. Erat eo tempore Romanus præſul *Vigilius*. Is in Sicilia tum degens magnum nauium numerum frumento compleuerat, & ad Portum

tum Romanum miſerat. Ciuitas ipſa, quæ Portus dicebatur, in poteſtate Romanorum erat; nauale verò, quod extra ciuitatis muros, & in ipſo mari ingenti opere extructum fuiſſe diximus, triduo ante occupauerant, & modò tenebant Gothi. Qui quum claſſem frumentariam è Sicilia aduentare cognouiſſent, in ipſo naualí ſub vrbis mœnibus ſe condiderũt. Romani verò qui in propugnaculis murorum pro ſtatio e erant, quum claſſem *Vigilianam* in conſpectu jam haberent, ſigna tollere, & manu ſignificare, curſum, vt vel ſiſterent, vel aliò flecterent. Sed (vt ſigna plerumque, niſi ex condicto edita, videntes, non minùs quam verba parùm intellecta audientes faſſunt) magiſtri nauium quæcunque edebantur, lætitiæ ſigna eſſe interpretati, plenis velis in portum, hoc eſt, in hoſtium poteſtatem veniunt. Ibi fæda edita in claſſiarios cædes .Neque enim aut ipſi ad pugnam parati venerant, & qui in vrbe erant, nihil in ſe viriũ ad eruptionem tentandam habuerunt. Erat in hac claſſe quidam nomine *Valentinus*, quem *Procopius* Epiſcopũ fuiſſe ait, cujus verò loci antiſtes fuit, memoriæ non prodit; ſed nec cauſam aduentus narrat: ſunt tamen qui eum Vicarium Romam à *Vigilio* miſſum referunt. Quicquid fuerit, captus & ad *Totilam* adductus, quum cauſam aduentus ſciſcitanti perplexè reſponderet, & mendacii demum apertè conuinceretur, vtraque manu præciſa, quo vellet abire juſſus eſt. *Beliſarius* quum ſe *Narſetis* æmuli ſui inuidia & artibus vſque premi cerneret, & nec militem in ſupplemen-

tum, nec pecuniam in ſtipendium mitti, & tranſfugia tam Romanorum quam auxiliarium ad *Totilam* noctes dieſque fieri animaduerteret, & Romæ ipſi dies noctesque timeret, nec propter copiarum tenuitatem terra iter arripere vlla probabili vel ſalutis vel artis diſciplinæue Imperatoriæ ratione poſſet, miſit primò literas ad Imperatorem, in quibus de ſtatu rerum grauiſſimè, nec ſine indignatione querebatur; *Si in Italiam*, inquit, *Beliſarium mittere duntaxat in animo habuiſti, benè eſt; ſum enim in mediis fere nunc Italis. At ſi hoſtem debellare vis, bello vtique neceſſaria, arma, veſtem, milites, ſtipendia mittenda ſunt; aut Italiæ ſeruandæ ſpes abjiciendæ.* Quibus literis datis, quum fruſtra Rauennæ tempus teri animaduerteret, præſidio ei relicto, cum claſſe Dalmatiam petit, inde Dirrachium in Epiro venit; ibi ei *Iſaaces* & *Johannes* copiarum Duces occurrunt; quibus *Beliſarius* conſilium ſuum aperit; ſe Romam non terra, ſed mari petiturum. Ibi quippe bellum eſſe, vbi *Totilas* eſſet; fruſtrà enim cætera teneri, ſi imperii ſedes amitteretur. *Johanni* tamen, quandoquidem id cupiebat, in aduerſum Italiæ littus vt tranſmitteret permiſit, vtque Romæ ſibi quam primùm poterat occurreret, in mandatis dat. Ipſe ventum & apertum mare nactus, *Portum* petit.

Cap. 6. *Totilas* quum ripas Tiberis, diſpoſitis per oportuna loca præſidiis, antea muniuiſſet, cognito jam *Beliſarii* conſilio, & quantum in vno viro ad omnia momenti eſſet ſecum reputans, ipſum flumen, ne quà commeatus ad vrbem ſubmitte-

mitterentur, claudere inſtituit. Contracta igitur ex vicinis montibus materiæ vi, flumen ponte tanta firmitate ſimul & laxitate conſtructo junxit, vt valli non ſolum ſpeciem præ ſe ferret, verum etiam vſum præberet. Additæ vtrinque præcelſæ turres ; quibus viri fortiſſimi toto exercitu delecti præſidio dabantur: catena inſuper ferrea inuſitatæ craſſitudinis ponti inferiùs, ne qua in ipſum vis fieret, prætendebatur. Quibus operibus perfectis, *Beliſarius* cum claſſe ad *Portum* applicuit; vbi quum tantum obicem flumini à *Totila* injectum comperiſſet, anxius animi, multa ſecum volutabat; Copiis impar, terreſtri itinere inde Romã petere non audebat. quippe non jam *Vitigem*, ſed *Totilam*, virtute & rerum terra marique geſtarum gloria conſpicuum, cum ingenti exercitu occurſurum. Flumen igitur profectò tentandum. Atqui præterquam quod adverſo ſubeundum eſſet, cum præſidiis tota ripa utrinque diſpoſitis perpetuò eſſe dimicandum occurrebat; & ſubibat animum, quod ſiue terrâ ſiue flumine ad vrbem penetraſſet, pari ibi virtute, ſed imparibus viribus, confligendum eſſet. Portunè igitur, inquit, dum Roma obſidetur, dum capitur, dum excinditur, dum incenditur conſidendum? Ne ſim, inquit, *Beliſarius* ſi tantum flagitium animo admiſero. Audendum eſt aliquid & novandum, quod hoſtibus improuiſum & inopinatum accidat, terroremque non vanum injiciat, & Romanam vrbem perfidis barbarorum faucibus eripiat : & cum dicto ad nauium ſtationem deſcendit. Ibi duas

acatas (nauigii genus erat) firmissimas simul & latissimas delegit. Has funibus aseribusque junxit, iunctis turrim inædificari imperat. Interim fidum speculatorem mittit; qui quum se præsidiis hostium ad pontem inseruisset, turrium altitudinem penitus perspectam ad se referret. It, redit, turrium altitudinem perspectam ad unguem refert. Quo cognito ipse turrim acatis impositam multò altiorem extrui curauit: qua perfecta, quod ad Panormum priùs fecerat, id nunc rursus tentandum esse censuit: summo malo lembos appendi jussit. Eò seuum, picem, sulphur, aut si quod aliud rapidius flammæ alimentum esset, congerit: ducentas insuper dromonas, commeatibus priùs affatim repletas & milite instructas, armat. Quarum singulis vallum ligneum exteriùs adjecit, vt hoc commento milites duplo plures, quam simplici nauigio ferri solēt, ad pugnam instruerentur: non enim in tabulatis modò turribusue stantes, verum etiam per hæc valla dispositi, vel gladiis vel missilibus pugnabant. Id autem quomodo factum fuerit, ita (vt puto) rectè animis concipiemus, si quas nunc porticus in extremis nauium nostrarum partibus, extructas dicimus, eas amplioribus spatiis, tantaque laxitate, vt milites in iis stantes membra ad pugnam mouere possint, toti naui circumjectas ob oculos posuerimus. Et hoc quidem *Belisarius* ad pugnam excogitauit. Enimuero *Ptolemæum Philadelphum* in *Thalamego* illa sua, quam ad voluptatem in flumine Nilo capiendam ingenti mole extruxit, binas exteriùs peripatas, siue ambulatio-

Vallum Nauale.

bulationes circumdediſſe cognouerat. Siue igitur valla hæc, ſiue porticus, ſiue ambulacra appellare libet, inuenta ad luxum *Beliſarius* ad belli vſum tranſtulit. Sic igitur inſtructa claſſe, *Iſaacèm* ducem ad ſe vocat; illi vrbis, illi *Antoninæ* ſuæ, utriuſque vita ſua ſibi carioris cuſtodiam & curam longa, interfuſis lachrymis, oratione commendat: *Vides enim*, inquit, *Iſaace quo in ſtatu res ſit.* Vnicum toto hoc Italiæ tractu locũ in poteſtate habemus, ad quem vel læti victoria redeamus, vel aduerſo caſu perculſi refugiamus. Ego audaci incæpto ad pontem perrumpendum, cum quod roboris & floris in exercitu ſit, vado, copiaſque è terra in flumen transfero: Et tu hoſtem milite abundare vides. Quid ſi me hinc profecto, quid ſi cum hoſte demum congreſſo, *Totila* vel ipſe accurrat, vel partem exercitus ad hæc mœnia oppugnanda mittat? Te preſente omnia in tuto fore confido; abſente, quid futurum ſit, horreo dicere, & reformidat mens cogitare. Si pontem non perrupero, & hæc interim vrbs ab hoſte intercepta fuerit; Roma ſimul & omnia funditus perierunt: Sin perrupto ponte, Romam commeatu & militum ſupplemento iuuero, capto tamen Portu, in eaſdem planè anguſtias, in quibus nunc verſantur, reincidemus; nec Portu amiſſo Roma vnquã obſidione ſoluta cenſeri poterit. Itaq; per *Juſtiniani* ſalutem, per Imperii majeſtatem, per ſi quid in me vel autoritatis, vel erga te amoris ineſt, rogo, jubeo, obteſtor, oro, ne te quacunque occaſione hinc vſquam moueris: Et adjecit, non ſi fama *Beliſarium* in

pugna cecidiſse venerit. Quibus dictis acatam conſcendit, & quà vi hominum, quà jumentorum opera aduerſo flumine ad pontem contendit. Gothi nouam claſsis faciem mirati, obſtupuerunt; ſed à ducibus admoniti, terriculamenta illa eſse & ludibria ad oculos fallendos adhibita, priſtinos animos induerunt, & ad pugnam ſe parant. *Beliſarius* quum ad pontem appropinquaſset, ferream ingentis magnitudinis catenam obiectam reperit: addita etiam erant ad vtramque ripam quæ catenam tutarentur caſtella; ſed ea pugna non diu tenuit: fuſa quæ in caſtellis erant præſidia, & vel ſoluta vel perrupta catena, facilem ad pontem perrumpendum viam præbuerunt. Ibi ingens contractum cum Gothis certamen. Vna præcipuè turris erat, quam *Oſdeus* cum bis centũ fortiſſimis militibus tenebat. *Beliſarius* quum jam ad ipſum pontem peruenisſet, lembos ſeuo & pice flagrantes in pontem juxta turrim dejici mandauit: qua flamma correpta turris, & *Oſdeus* & qui cum eo erant milites ad vnum omnes perierunt, ipſeque pons velut fulgure concepto deflagrauit; quæ omnia ſic vt erant fæliciter geſta, nuntius neſcio quis ex acie properans ad Portum detulit. Ingens ibi ex re bene geſta lætitia erat; *Iſaaces* verò ad loci cuſtodiam relictus, abominando flagitio, ſpretis *Beliſarii* mandatis, ſpreto more, ſpreta diſciplina militari, ſcilicet ne ſolus in tam inſigni victoria exors gloriæ haberetur, tranſmiſſo Tiberi, cũ cẽtum equitibus, via Oſtienſi aduerſum hoſtes tendit. *Rotheric* Gothorum, qui in illis caſtris erant, dux,

ſubito

ſubito hoſtium aduentu territus,& maiores copias pone ſequi ratus,properè fugâ arripit;Nec *Iſaaci*, vel hoſtem in fugam verſum inſequendi, vel ad pontem ducendi cura erat; ſed tam ipſe, quam qui cum eo erant milites caſtra ab hoſte deſerta inuadere, tẽtoriis ſe inſerere, inde quicquid poterant, auferre, denique non amplius in pugnam ſed in prædam omnes intenti eſſe. *Rotbericus* verò quum paululum receſſiſſet,nec quenquã ſe inſequi animaduertiſſet,fugam ſiſtit: quumque caſtra à ſe relicta reſpiciens, hoſtium paucitatem, ſimul & inſcitiam conſideraſſet, ſuos hortatus, vt flagitium admiſſum virtute eluerent, neuè fugæ quam victoriæ fama prior ad *Totilam* perueniret, ad caſtra redit: ibi hoſtem intentoriis pleroſque deprehenſos ferro mactat, & *Iſaacem* vinum capit. Forte accidit, vt vnus aliquis prælio elapſus ad *Beliſarium*,qui pontem jamjam perrupturus videbatur, trepidus accurreret:. iſque non rei ſerie, non loco pugnæ, non cauſa narrata, id vnum renuntiauit, *Iſaacem*. cum ſuis, ab hoſte captum periiſſe. *Beliſarius* ratus Portum, & in ea *Antoninam* vxorem, ſpeſque Romanorum omnes cum *Iſaace* vnà interiiſſe, relicto ponte, properè ad Portum recuperandum redit. Ibi & *Antoninã* & vrbem & omnia quæ in ea erant ſalua reperit. Sed quum *Iſaacem* cum turma equitum, in aduerſam ripam trajeciſſe cognouiſſet, rerum primũm imagine confuſus ſtetit: Deinde, quum quantam rem,qua fui ab *Iſaace* contumelia, quo errore ſuo, ſibi è manibus elabi paſſus eſſet, animo volutaſſet,præ mœrore

in

in febrim, & grauem & diuturnam incidit: nec cui rem cæptã exequendam committeret, habebat; quum ſpretam ſuam vbique autoritatem cerneret. *Beliſario* decumbente, *Totilas* Romam proditione capit. Qua præſidiis firmata, ad alias longè poſitas ciuitates, quæ à Romanorum partibus adhuc ſtabant recipiendas abiit. Præcipua tamen eum cura, de Sicilia Gothorum imperio reſtituenda tenuit.

Cap. 7. Proditum memoriæ eſt, quo tempore *Totilas* vrbem Romanam obſidione primùm premeret, nec dum *Beliſarius* ad Portum appuliſſet, Pelagium Diaconum à S. P. Q. R. legatum de conditionibus quibus vrbs dederetur, miſſum ad eum acceſſiſſe: ſed ante quam orationem inſtitueret, præueniſſe *Totilam*, & edixiſſe, ne de tribus rebus verbum mitteret; è quibus vna illa erat, *ne de Sicilia quicquam moueret.* *Totilas* enim à ſuſcepti ſtatim regni initio inſulam illam *Beliſarii* dolo Gothis ereptam fuiſſe querebatur: præque ſe ferebat, niſi ea reſtituta, arma nunquam poſiturum. Itaque quadringentarum ſtatim nauium claſſem contrahit, præter infinitum nauicularum numerum, quarum omnium longè maximam partem à Romanis, dum trajectus facerent, captas habuit. Cum hiis freto in Siciliam trajecit: & primo appulſu Meſſanã cepit; deinde vniuerſam inſulã infandis populationibus vaſtat: & demum ipſas Syracuſas terra mariq; obſidione clauſit; claſſis deinde majorem partem ad Græciam primùm & inſulas ei adjacentes, Corcyram & Cephaloniam & Zacynthum populandas

das mittit: inde ad occidentem conuerſus, Corſicam & Sardiniam inſedit. Dum hæc aguntur, *Beliſarius*, miſſis priùs ad Imperatorem litteris, per cauſam valetudinis, petiit & obtinuit vt domum reuocaretur; ſed recuperata interim ſanitate Romani recepit, & decedens vrbem in poſſeſſione Imperii Romani reliquit. Reuerſum Imperator ſummo apud ſe in honore habuit, & Prætorio Orientis præfecit. Tanta autem apud populum dignatione fuit, vt ipſi Conſules ei, non ſolùm aduenienti aſſurgerent, verùm etiam occurrenti de via decederent. Interim *Juſtinianus* de ſucceſſore toto animo cogitare. Quem autem ei muneri potiorem deſtinaret, quàm *Germanum* ſuum ex ſorore nepotem, & virum multis magniſque facinoribus conſpicuum? nam & *Stozam* Tyrannum ſe in Africa efferentẽ acie victum occiderat, & Antarûm gentem, qui Iſtro tranſmiſſo Conſtantinopolim inuadere parabant, penitùs deleuerat, & omnium opinione Dux bello egregius, & *Beliſario* ſecundus habebatur: magna etiam autoritate & prærogatiua ad hoc bellum gerendum acceſſurus videbatur, quòd *Amalaſuntham Theodorici*, ex filio *Eutharico* neptem, vxorem duxerat. Sed dum ille per ſuperiora Macedoniæ, via in Italiam ferente, duceret, Sclauini, gens tum noua, Iſtro tranſito, Imperii fines inuaſerant. Itaque *Juſtinianus* eum, Italia omiſſa, contra Sclauinos arma vertere jubet, & *Liberium* cum claſſe in Italiam mittit; dato in mandatis, vt in itinere Siciliam tentarat. Ille impigrè rem aggreditur; ſed vix Siciliam attigeret

tigerat, quum Imperator, graues ejus annos causatus, ei successorem *Artabanem* mittit Profectus verò *Artabanes*, quum Cephaloniam appulisset, ibi *Liberium* viam vi in Syracusarum portum feciſse certior fit. Itaque eodem per Adriam cursum dirigit, sed in itinere totam classem, vel fluctuum vi obrutam, vel in Peloponesum ventis rejectam, vel in diuersa & ignota littora ejectam amisit. Ipse ad Melitam insulam naufragus exponitur; inde classe exutus, Byzantium reuertitur, & *Germanus*, profligatis Sclauinis, moritur.

Cap. 8. Quibus rebus intellectis, *Justinianus* quendam nomine *Johannem* belli Ducem in Italiam mittit. Qui quũ Salonas in Dalmatia, cum non contemnendis copiis peruenisset, litteris ab Imperatore datis jussus est, ibi *Narsetem, Eunuchum* quidem, sed fatalem hujus belli Ducem, expectare. Non desunt qui *Justiniani*, hoc in loco, inconstantiæ arguant. Ego verò summi viri consilia & rationes leuitatis arguere inciuile esse puto; præsertim quum consiliorum exitus fælices videam. *Totilas* enim inani tot nouorum Ducum, classium, exercituum ab Imperatore in Italiam missorum fama territus, Siracusas, quas frustra aliquot menses terra marique arctissima obsidione clausas tenuerat, & cum illis totam Siciliam, abductis inde propere copiis, terrestribus pariter & maritimis, Imperatori vt priùs possidendam reliquit; Veritus scilicet, ne dum insulam illam retinere contendit, totius Italiæ possessione excideret. Duo verò erant quæ inde digressus in animo facere habebat:

bat alterũ, vt Romam reciperet, alterum vt Anconam, urbem maritimã, ad ſinus Adriatici flexum poſitam ſuæ poteſtatis faceret. Tres enim tantùm vrbes toto illo tractu Romani reliquas habebant; Hydruntem, Anconam, & Rauennam. *Totilas* igitur in Italiam reuerſus, ante omnia Anconam obſidet. Rauennæ illo tempore *Valerianus*, vnus ex vndecim ducibus, à *Beliſario* relictis, præfuit. Qui quum quantis copiis Ancona, præſertim à mari, obſeſa teneretur, & quanta jam fame obſeſſi laborarent, intelligeret, litteras ad *Johannem*, Salonis expectantem, dat, quibus & præſentem rerum ad Anconam ſtatum, & loci oportunitatem, & rerum omnium in Italia momentum, ab illius vrbis ſalute pendere, ob oculos proponebat. Rogabat igitur, vt quandoquidem claſſem paratam haberet, eam, mora poſita, ad Anconam mitteret, eamque, ſi poſſet, obſidione, ſi minùs, ſaltem fame liberaret. Quibus litteris perlectis *Johannes*, quamuis aliud ab Imperatore in mandatis habebat, naues tamen triginta ſeptem commeatu ſimul & milite refertas deducit, & aduersùs hoſtem nauigare incredibili diligentia pergit. In itinere conſilii author *Valerianus*, cum duodecim apparatiſſimis nauibus occurrit: eæ claſſem Romanam Gothicæ, quæ quinquaginta circiter nauibus conſtabat, parẽ faciebant. *Johannes* ſupra Anconam Rauennam verſus terreſtrem militem exponit. Inde Anconam de ſumma rerum nauali prælio decertaturus venit, & ante portum aciem explicuit. Nec claſsis Gothica pugnæ moram fecit; priùs tamen

tamen quam concurreretur, vterque Dux ſuos milites alloquendos cenſuit. Vtriuſque oratio in eo plurimùm verſabatur, vt Italiæ imperium ab ejus pugnæ euentu pendere ſuos edocerent. Nec aliter oratio quam res erat. Vix orationes finierant, quum milites clamore ſublato roſtra dirigunt. Æquis igitur, vt in tam pari nauium numero, frontibus concurrunt, in directum vtrinque nitentes, paribuſque primò & armis & animis gerebatur res; & ſagittæ grandine denſiùs omni parte volabant. Sed quum proras proris percuſſiſſent, reſque gladiis jam & haſtis geri cæpta eſt, victoria ſtatim ad Romanos inclinauit, & hinc *Johannes*, inde *Valeriantus* inſcitiam hoſtium ſuis oſtendebant. Gothorum enim hic manipulos à reliqua claſſe ſeclusos, illic mediam aciem confuſis ordinibus ſtiparam cerneres, aliique aliis impedimento erant: tum contis alteri alteros protrudebant; jamque clamoribus & conuitiis ſtrepebant omnia, vix vt manibus temperarent. Romani, quà ſolutos ordines cernebant, ibi ſe medios inſinuabant, manipuloſque auulſos, multitudine freti, facile ſuperabant. Mediam verò aciem, ne ſe vſquam explicaret, vndique circumfuſi impediebant: jamque antennarum hoſtilium cornua alia aliis implicantur, & obſtantes nauium ſuarum mali, ne ſagittæ in hoſtem miſſæ, ad eos pertingerent, veluti denſa aliqua ſilua objecta, magna parte impediebant. Romani verò quum magna virtute in eo prælio ſe gerebant, tum pugnam multa arte inibant; nauibus juſto ſpatio à ſe inuicem diſtantibus, ſicque diſpoſitis, vt

ſi

ſi qua hoſtis ſe inferret, ordines denſare; ſin pluribus in locis res gerenda eſſet, eoſdem laxare, rurſuſque coire poſſent; vbi verò tumultuari barbaros conſpexiſſent, paulum recedentes, ſagittas in eos vndique emittebant; quarum nulla ferè incaſſum cecidit; adeo enim conferti ſtabant Gothi, vt ſinguli deſtinatis ab hoſte ictibus peterentur. Itaque abjectis demum armis nuda hoſtibus corpora ferienda præbuerunt; ſtabantque nec fugæ nec pugnæ memores Vndecim modò nauium cohors quæ ſe ab acie ſub ipſo pugnæ initio disjunxerant, fuga ſalutem petierunt: in cæteros Romani, vt in barbaros par erat, ſæuierunt: paucos modò cædendo demum feſſi ſeruauerunt. Qui verò aufugerant, vbi terram attigiſſent, naues ſuas incenderunt, ne earum poteſtas hoſti fieret. Qua re perſpecta, Gothi, ſoluta obſidione, ab Ancona Auximũ trepidi aufugerunt. *Johannes* & *Valerianus* Anconam ire pergunt, ſimul vt commeatũ famelicis inferrent, vtq; hoſtem (fugiſſe enim hactenus ignorabant) junctis copiis in ipſis caſtris aggrederentur. Sed quum ſolutã obſidionem, & omnia ibi in tuto collocata animaduertiſſent, *Johannes* Salonas, *Valerianus* Rauennam properè redierunt.

Multiplex erat hæc Gothis, quàm pro numero vel nauium vel virorum amiſſorum clades; multiplex etiam Romanis victoriæ, quàm pro hoſtiũ cæſorum multitudine, fructus. *Totila* enim & Gothis animi ſtatim conciderunt, *Narſeti* verò patefactũ, ſeu mari ſeu terra maluit, in Italiam iter erat; ſed terra iter facere placuit, Cap. 9.

itaque

itaque per Venetos in Italiam deſcendit. Sunt qui Venetiarum vrbem gratum ei nauibus ſuis ſubſidium, ad flumina pontibus jungenda, hoc tempore præbuiſſe ſcribunt: & *Procopium* quidem *Narſetem* hujuſmodi nauium ſubſidio ad flumina tranſmittenda vſum fuiſſe dicit: & perpetua deinceps *Narſetis* in Venetos beneficia, vrbem illam, gratam ſibi operam, quæcũq; ea fuit, nauaſſe indicio ſunt. Quicquid autem de re iſthac erat, *Narſes* quum ad Rauennam peruenisset, paucos ibi ad reficiendum militem, & cognoſcendum rerum in Italia ſtatum dies moratus, ad debellandos Gothos ſe conuertit; magnoque animo, magno conſilio, & indefeſſo quum ſuo, tum exercitus, quem florentiſſimum ducebat, ſtudio omnia ſubigebat; & magnis ſæpè præliis totiſque viribus cum hoſte congreſſus, victoriam ſemper reportauit; *Totilamque* primùm magna acie, ſed longè majore *Teiam* Gothorum Reges vicit & occidit; Italiamque omnem pacauit, & Romano imperio integram reſtituit. Prælium verò, qua *Teium* vicit, tribus continuis diebus à ſolis ortu ad occaſum pugnatum fuit; & pugna Nucerina à *Blondo*, *Sabellico* & aliis appellatur. Incidit autem in annum Domini quingenteſimum quinquageſimum ſecundum. Pacatam verò Italiam *Juſtinianus*, tanquam Imperii Prouinciam, *Narſeti* ordinandam permiſit. Ille eam ſumma fide, juſtitia, moderatione animi, & amore omnium, dum viueret *Juſtinianus*, rexit. Jamque *Juſtinianus* ſimul & *Beliſarius* ad profundam ſenectutem peruenerant, quum Hunni,

tranſ-

transiniſo Iſtro Romanum Imperium inuadebant; emenſaque tota Thracia ad *Longos*, qui vocantur *muros*, qui vnius tantùm diei iter ab vrbe diſtant, caſtra fecerant. *Juſtinianus* igitur accerſitum *Beliſarium* rogat, vt extremam hanc Imperio nauaret operam, hancque peſtem à Byzantii mœnibus auerteret. *Beliſarius* quamquam ſenectute jam incuruus, vix vt equo hærere poſſit, juuentutem tamen ad arma vocat. Omnes properè conueniunt: nec quiſquam tam iners Byzantii repertus, qui *Beliſario* vocanti, non reſponderet. Isque quamuis inconditam vrbicorum hominum multitudinem duceret, ea tamen cura & arte aciem inſtruxit, vt Hunnis primùm ejus impetum non ſuſtinerent. Sed fuga effuſi retrò ad Iſtrum abierunt: quod eo libentiùs, quanquam ad mare nil pertineat commemoraui, vt eorum inſcitiam refellerem, qui *Beliſarium* à *Juſtiniano*, ſcilicet in exilium ejectum & ad panem mendicandum adactum fuiſſe fabulantur. Summa enim ſemper & Imperatoris & populi caritate vixit. Paucos verò poſt annos rurſus Hunni ad Conſtantinopolim obſidendam redeunt; nec vltra vires *Beliſario* ad aciem inſtruendam ſuffecerunt. Sed erat illo tempore Conſtantinopoli Germanus, adoleſcens nobilis, & Germani, quem diximus de-

Hunni Conſtantinop. inuadunt.

Alter Hunorum in Conſtantinop. incurſit.

functi filius, & *Juſtiniani* propinquus. Is omnes, quotquot *Beliſario* nomina dederant, ad arma pro patria rurſus induenda conuocat; hortaturque vt, qua virtute Hunnos iſtos ad *longos muros*, Duce *Beliſario*, antea vicerant, eadem nunc, ſe Duce, mœnia vrbis defenderent; mouit omnes juuenis oratio; itaque arma omnes capiunt: multiſque prœliis terreſtribus hoſtem ſub ipſis vrbis mœnibus, Germano ſemper inter primos ordines pugnante, fatigarunt. Feſſi deinde, quà pugnando, quà obſidendo Hunni, ad maritimum commentum animum aduertunt; quo ſuccedente, vrbe ſe protenus potituros non dubitabant: ſin aliter res cecidiſſet, obſidionem ſoluere & ad ſuos redire ſtatuebant. Harundinum igitur præcipuæ longitudinis ſimul & craſſitudinis vi magna coacta, eiſque inuicem intertextis, & cratibus compluribus, quibus pro lateribus interiùs vterentur, factis, perticiſq; grandioribus tranſtrorum in vſum poſitis, hæc omnia committebant reſtibuſque & vietis viminibus (neque enim ferri, aut copia, aut, vſus erat) colligabant; commiſſuras verò ipſas palea explebant, ita vt crates tres, vel ad ſummum quatuor, nauiculam vnam conficerent, tanta laxitate, vt quatuor homines ſingulæ caperent, tanti verò fundi, vt inuecta pondera firmiter & tutò deve-

herent

herent, nec ſui leuitate ſubuerterentur. Hujus generis nauigia centum & quinquaginta fabricantur: in quibus partem anteriorem in proræ ſpeciem leuiter inflexam protendebant, à lateribus verò remigium adornabant. Quibus rebus ſic conſtitutis, claſſem hanc arundineam è regione occidentalis littoris in mare clam mittunt; ſicque rudi remigio in altum à terra longiùs prouehuntur, rati ſe facilè ſinum ſuperaturos, & ad locum aliquem infra portum præſidio vacuum & incuſtoditum peruenturos. Quibus de rebus per exploratores certior factus *Germanus*, hoſtium quidem irriſit temeritatem, veruntamen actuarias viginti, multiplici remigio inſtructas, armatis complet; & in muri interioris angulo, veluti in inſidiis collocauit. Vnde ſigno dato coorti impetum in Hunnos, portus fauces jam ingreſſos, faciunt. Hunni qui nihil minus quàm pugnam expectabant, nec aliud curabant, quàm vt conſiſterent duntaxat dum in terram alicubi deſcenderent, vbi hoſtem incurſantem conſpexerunt, præ metu obtorpuerunt: Romani interim omnia cum riſu exequebantur, junceaſque cymbarum compagines falcibus diſſecantes, hoſtes ipſos in mare effuderunt. Ita ſtolidum barbarorum incæptum, parem conſiliis exitum habuit; nec ex ſexcentis illis, qui arun-

dines haſce conſcenderant, quiſquam vel euaſit, vel viuus in hoſtium poteſtatem venit: reliquus verò exercitus hac primùm clade territus, deinde eruptionibus ex vrbe quotidiè factis agitatus, retrò ad Iſtrum, Germano inſequente, abit, eoque demum tranſmiſſo qui ſupererant in patriam ſuam afflicti & inopes reuerterunt. Paulò deinde poſt *Iuſtinianus* moritur; anno nempe Domini quingenteſimo ſexageſimo quinto: vir pacis bellique & artibus & ſucceſſibus, ſi quis vnquam, memorabilis.

Cap. 1. *Narſes* quum Oſtrogthorum & imperium & nomen, non ex Italia modò, verum etiam ex terrarum orbe ſuſtuliſſet, Francoſque in ſubſidium ab illis ſerò vocatos memorabili inſuper ſtrage edita profligaſſet, fatiſque ſubinde ceſſerat Imperator *Iuſtinianus*, contempto *Iuſtino*, qui *Iuſtiniano* ſucceſſerat, omnia iu prouincia veluti in regno ſuo adminiſtrabat. Quæ res *Iuſtino*, miti alioquin ingenio homini, animum, *Sophiæ* verò ejus vxori etiam ſtomachum mouebat. Itaque *Longinus* ſucceſſor extemplo miſſus eſt, & ſub nouo Exarchi titulo Italiæ præeſſe & Rauennæ ſedem habere juſſus. Quo quum appuliſſet, confeſtim *Narſes* Neapolim, vrbem multis ſibi beneficiis obſtrictam, conceſſit. Ibi reliquas duodecim tredecimuè

cimuè vitæ, vt autor eſt *Blondus*, annos voluntarius exul egit; & indè nuntios litteraſque ad *Alboinum*, Longobardorum Regem, mittit; totam ſe ei Italiam, modò cum exercitu venire non grauaretur, in manus traditurum ſpondens. Quòque munitiorem ei in Italiam ex Pannonia, quam Longobardi priùs occupauerant, per vallem Telinam viam ſtrueret, *Dagiſtæum*, ſummum virum, qui omni oræ Tranſpadanæ, Venetæque regioni Aquileiam vſque, præerat, cum exercitu abduxit. Ea enim erat authoritate *Narſes*, vt in priuata quamuis fortuna conſtitutus, plus tamen vel verbo, vel nutu, quàm *Longinus* nouus Exarchus pro Imperio poſſet. Magno omnia & inexcuſabili flagitio. Quid enim ſi Imperatrix (juſtène an injuſtè non moror) eum ſe ad penſa ancillis diſtribuenda (quod vulgò fertur) reuocaturam eſſe per ludibrium denuntiabat? ſatîn illa juſta cauſa videri debuit, cur ille Italiam, Imperii nuper, tum certè religionis Chriſtianæ ſedem, hoſti barbaro, immani, idolatræ, nec affectanti, nec petenti, ac ne cogitanti quidem, ſed vltrò accerſito & inuitato proderet? Atqui non ſic *Lyſander* olim, Lacedæmoniorum Dux; qui quum opibus & gloria floreret, taliſque per omnia in Græ-

cia tum eſſet, qualis jam *Narſes* in Italia erat, juſſus tamen eſt ab *Ageſilao* Rege, quod inter viliſſima exercitus miniſteria habebatur, carnes militi diuidere. Quumque rei indignitate motus liberè Regem, *ſiccine amicos bearet*, interrogaſſet, reſponſum tulit, *ſi qu dem Rege ipſo majores eſſe volunt.* Quo verbo ſenſit *Lyſander* cujus moris ſibi obliuiſcendum eſſet; clientelas, ſeruorumque turbas à ſe amouit; non ipſe omnia, vt priùs, exequi, ſed Regis juſſa expectare cœpit; errorem correxit, in fide manſit; non Regem, non Regnum, non rem Spartanam, vel Athenienſibus æmulis, vel Perſis hoſtibus, per ſtomachum prodenda eſſe cenſuit. Sed erat *Narſes* ingenio, vt magno & capaci, ita inuido & maligno præditus. Teſtis Mediolanum vrbs; quæ quum à Gothis ad *Beliſarium* defeciſſet, & propterea à *Totila* grauiſſima obſidione premeretur, ſubſidia quidem *Beliſarius* petentibus cum fide miſit, ſed, ne miſſa peruenirent, effecit *Narſes*. Itaque capta breui & exciſa eſt à crudeliſſimo hoſte nobiliſſima Italiæ poſt Romam ciuitas, & trecenta hominum millia à victore irato, nec tam de victoria quam de vindicta ſollicito, neci tradita. Maluit nimirùm *Narſes* florentiſſimam vrbem funditus perire

ire, quam ſeruatæ gloriam æmulo relinquere. Nam ad Italiam quod attinet, jam tum illam Gothis prodidit, quum pro ea, qua apud Imperatorem valebat, gratia, *Beliſario* for iſſimo viro & præſtantiſſimo Duci, & militem & belli ſum; tum tam malignè ſemper præberi procurabat, vt præter damnum opprobrium etiam *Juſtiniano* eſſet, tantum bellum à tanto Imperatore tanta penuria adminiſtrari.

Longobardorum ſub *Alboino* Rege in Italiam per Venetam regionem (ea enim plerumque barbaris patuit via) deſcenſus noua Venetis inſulis incrementa dedit. Tunc *Paulus* Epiſcopus Aquileienſis, recentibus vrbis reſtauratæ mœnibus diffiſus, ſedem & ſacra in inſulam *Gradum* tranſtulit. Tunc & Riuoaltus frequentiùs quàm priùs coli, & nouæ ſemper inſulæ ſubſtructionibus firmari, & habitari cœptæ. Mox Patauia iterum ab *Agilulpho* exciſa omnes ferè incolas ſuas in inſulas transfudit; quæ migratio templorum tum frequentiùs tum auguſtiùs in illis ædificandorum cauſam dedit, & plures Epiſcoporum ſedes in illis locatæ memorantur; Caprulana, Heracliana, Torcellana, & Metamaucenſis; è quibus hæc cum inſula ipſa paulò poſt ſtructurarum mole preſſa ſubſidiſſe dicitur

Cap. 2.

Noua Venetæ vrbis incrementa.

tur. Sub extremis igitur *Juſtini* Imperatoris temporibus in Italiam deſcenderunt Longobardi: *Juſtino* verò ſucceſſit *Tiberius*, & *Tiberio Mauritius*, inter quem & *Gregorium* primum, Pontificem Romanum graue interceſſit de ſedis Conſtantinopolitanæ prærogatiua diſſidium; quibus de rebus, quum ad rem maritimam non ſpectent, nil attinet hoc loco dicere. Sed quum *Mauritius* Longobardorum, quàm Pontificum potentiam in Italia creſcere malſet, contrà *Gregorius Mauritium* vt Imperii deſertorem infamem ad populùm vbique faceret, & *Mauritius* ipſe duodecim captiuorum Romanorum millia, vnico per capita nummulo, praua ſeueritatis & diſciplinæ militaris jactantia, redimere recuſaſſet, adeò in omnium ordinum odium venit, vt *Phocas*, vix tum ordinum Ductor, eo depulſo ad Imperium capeſſendum vocaretur. Verùm & hic ipſe *Phocas*, quum Imperium annos octo & quatuor menſes infœlicitèr tenuiſſet, magnaſque clades à Perſis accepiſſet, cædibuſque interim & ſtupris graſſatus fuerat, omnium in ſe odium concitauit. Pugna igitur nauali, in ipſo portu Conſtantinopolitano, vt refert *Cedrenus*, ab *Heracliano* victus, in Regiam confugit; vndè poſcente populo extractus, *Heraclio*, *Heracliani* filio, vinctus

ctus traditur. Is in anteactæ vitæ vindictam, manibus, pedibus, pudendis, capite denique truncatū projici juſſit. Populus ne quid ejus in terris integri ſupereſſet, flammis tradidit, & *Heraclium Heracliani* filium Imperatorem ſalutauit. Sub cujus Imperii initio Rex Perſarum *Coſdroæ*, aliàs *Coſroë*, per Armeniam, Meſopotamiam, Syriam, Arabiam, Phœniciam & Judæam, omnia armis ſubigendo, in Ægyptum deſcendit; qua etiam ſub jugum miſſa, ad mare vſque occiduum & Atlanticum, capta in itinere Carthagine, peruaſit: indeque via qua venerat in Perſidem reuerſus, omnem rurſus Aſiam minorem ad Ægæum vſque mare ſubegit; in Græciam inde Italiamque & Galliam, extremamque Hiſpaniam, ſi daretur copia, peruaſurus; nec vllus vnus vnquam Rex tantùm terrarū vincendo obiuiſſe in vlla hiſtoria memoratur. *Heraclius* quū ſe imparem viribus ſentiret, pacem à *Coſdroa* per Legatos petiit. *Coſdroas*, propoſitæ tenax, omnem pacis mentionem reſpuit, niſi Imperator Chriſto renuntiaret. Arma igitur *Heraclius* inuitus induit, tribuſque grauiſſimis prælijs ita *Coſdroæ* Perſarumq; res accidit, vt in intima Perſidis ſuæ latibula vltra Tigrim cogerentur refugere; *Heraclius* Perſidem cum exercitu ingreditur: ibi *Razatenum* copiarum Perſicarum Ducem, pugna à Solis ortu ad occaſum continuata, egregiè vicit & occidit. Ipſe verò *Coſdroas*, vt olim *Sennacherib*, à filio ſuo natu majore, nomine *Syrochio*, quòd *Medarſem* fratrem, ſe præterito, in regni conſortium accepiſſet, captus primò, deindè cum

Coſdroæ expeditio

Medarſe in vincula conjectus, & denique occiſus eſt. *Syrochius* quicquid terrarum ad Romanum Imperium anteà ſpectabat, *Heraclio* reſtituit, præter Arabiam.

Cap. 3. In Arabia, ſub viceſimũ *Heraclii* Imperatoris annum, monſtrum humani generis, & verè Antichriſtus ille *Mahumet*, qui nouam religionis telam orbi terrarum texuit, ſe efferre cepit; Quam religionis ſuæ formam quum ſemel Arabibus inſinuaſſet, incredibile dictu eſt, quam infando rerum terra marique geſtarum ſucceſſu, quamque breui tempore eam ab extrema Perſide & Indo vſque flumine ad *Herculis* columnas, per Ægyptum, Lybiam & Africam, proferebat. Vulgò creditum inuenio, *Mahumetem* iſtum tum primùm Arabas & Agarenos ſuos *Saracenos* appellâſſe; quo in errore (ſi fas dicere) *Pium* ipſum *ſecundum* Pontificem Romanum in ſua *de rebus vbique geſtis Hiſtoria* verſatũ fuiſſe video. Nam, vt alios omittã, *Ammianũ Marcellinũ* in libro decimo quarto hiſtoriæ, vbi de *Gallo* & *Conſtantio* agitur, de *Saracenis* mentionem facere inuenio; ſuper quorũ origine & moribus, ſe priùs locis multis, præſertim verò in vita *Marci Antonini* Philoſophi (qui quadringentos antè *Heraclium* annos imperauit (*retuliſſe* narrat; vſq; adeò à vero abſunt qui gentis hujus nomen antè *Mahumetem* inauditũ fuiſſe putant. Saracenorũ verò titulo gloriari, gentiſq; originẽ ad *Sarã Abrahæ* vxorẽ potiùs quã ad *Agar* ancillã referre, primus eos *Mahometes* docuit; eoque titulo & prærogatiua, gentem hanc ſolã in terris liberã, ſolã myſteriorũ diuinorum

Mahumetis ortus.

Saraceni.

morum capacē, quæq; non religione magis quā imperio creſceret, dignam eſſe apud vulgus jactitabat. Et hoc quidem incendium *Heraclius*, dum vltra opiniones & vota non eſt proceſſum, ſatis fœliciter repreſſit. Arabas enim, præſertim nobiliores, vt quēq; hac peſte maximè laborare ſenſit, militiæ ſuæ ſtatim aſcripſit, eoſque à ſuis finibus ad alios, & quidem longinquiores ſub honeſtioris militiæ ſpecie amandauit. Poſt aliquot verò annos, vt refert *Paulus Diaconus*, (quo certiorem in iſtis autorem non habemus) accidit, vt exercitibus *Rogæ quædam* (authoris verbo vtor) hoc eſt, vel largitiones extra ordinem, vel ſtipendia conſueta, quæ caſtrenſi vocabulo *Erogationes* priùs dicebantur, militibus viritim diuidenda eſſent; Quæſtor autem, quū inter alios Saraceni ad ſuas rogas recipiendas veniſſent, *Scilicet*, inquit, *Dominus noſtus vix quod militi Græco & Romano largiatur habet, & iſti canes ſe accepturos eſſe ſperant?* Hac igitur occaſione crinibus arrepta *Mahumetes* Arabum animos ad defectionem ſollicitare cœpit, ſeruitutem illis & paupertatem, & tributorum exactionem, & ſtipendiorum ſubtractionem, ſed antè omnia contumeliam à Quæſtoribus illatam multis verbis exprobrando. *Vos*, inquit, *filios Abrahæ, ſeruituti mancipari? vos ſemen promiſſionis canes appellari? vos prærogatiua cæleſti gentibus prælatos, Græculis iſtis vſq; adeò poſthaberi, vt cum illis comparati, non ſagulo, non ſtipendio, non appellatione militari, ſed conuiciis, opprobriis & contumeliis digni exiſtimemini?* multis deindè de *Gabriele* Angelo, de reuelatione

Rogæ, quid?

diuina, de Lege cœlitùs tradita, de ſuo cum Angelis conſortio, fanatici more cum diſſeruiſſet, forte accidit, vt vectigaliũ & tributorũ collectores, in conſpectum venirent; quo animaduerſo, *En*, inquit, *fortunarũ noſtrarũ hirudines*; nec plura moratus primo occurrentẽ ipſe ferro ſtrenuè obtruncat. Qui aderant, reliquos eodem exemplo mactant. Nec difficile jam erat, tali ſanguine imbutos ex deſperatione veniæ ad quodlibet facinus impellere. Itaque facta manu, latronum primùm more, in Arabas, Syros & Meſopotamiæ incolas excurrit, & ita vbique religionem armis, cædibus cultum diuinum miſcuit, facilè vt omnibus, quos affandi modò poteſtatem nanciſci potuit, gladios è manibus extorqueret. Jamque non pro latrone, ſed pro juſto hoſte haberi cœpit. Mox *Theodorum Heraclii* fratrem cum exercitu miſſum, ingenti acie victum interficit: inde Damaſcum profectus, vrbem capit, & magno omnium conſenſu Calipha, hoc eſt, Rex ſalutatur. Tum Hieroſolymam proficiſcitur, ibi *Abrahamum*, *Moyſen*, & *Ieremiam* prophetam ſibi in via occurriſſe finxit, vrbemque ſuperſtitionibus addictam inſomniis & vaticiniis omnem impleuit. Inde reuerſus Perſidem omnem Parthiamque vaſtauit, Parthorumque nomen penitùs deleuit. Perſas etiam non vltrà ſuo, ſed Saracenorum nomine, ipſumque Regnum non Perſicum ſed Saracenicum dici & cenſeri voluit; idque aliquandiù tenuit. Iſta verò omnia ſex annorum ſpatio confecit: quatuor enim reliquos vitæ annos regno ſimul & religioni firmandis dedit. Mortuus demùm

Regnum Saracenicum.

mùm Mechæ, ut fama tenet, conditur. Sunt etiam qui ferreo loculo incluſum, & ad diuinitatis fidem, vi magnetis in templi faſtigio fixi attractũ pendere tradunt. Sed vtrumq; refellit *Ludouicus Patricius* Suæ Nauigationis, lib. 1. *Errant*, inquit, *qui autumant Mahumetis arcam apud Mecham in aëre abſque adminiculo penſilem conſiſtere. Egoenim affirmo, ea nec vera nec veriſimilia eſſe. Vtpote qui eam hæc perpendi, vidique locum vbi humatus eſt, in vrbe Medinathalabi.* Perſequitur deinde ſepulchri formam; quod vt omnia Regum mauſolæa ſuperat, ita corpus ipſum non in ſublimi pendens, ſed in loco humili, & defoſſo jacens cernitur. Errori cauſam dedit, quod Mechæ etiam *meſchita* quædam ejus, ſiue delubrum cernitur, vnde Indulgentiæ & peccaminum remiſſiones, non minus quàm Medinathalabi peti ſolent. Nec ad ſepulchrum modò ſuum pro diuo colitur, verum etiam toto Oriente, ſuſceptis peregrinationibus (proh dolor) adoratur. Ad inferos autem abiit *Mahometes*, anno Salutis ſexcenteſimo triceſimo ſecundo, anno verò Al-Hegiræ ſuæ, ſiue à Califatu Damaſci accepto, ſiue à fuga ſua ex Mecha vrbe computes (parùm enim intereſt) decimo plenè exacto: ei verò ſuperuixit tredecim annos *Heraclius*; Vir multis & egregiis facinoribus inſignis, præterquam quod in Monothelitarum hæreſim incogitantèr, vt ait *Paulus Diaconus*, inciderat. Duas enim in Chriſto voluntates (quum neutra alteri vnquam repugnaret) indiſcriminatim vnam eſſe cenſuit. Sed Romani Scriptores

nullum vnquam poſt *Mauritii* & *Gregorii* diſſidium, de Imperatoribus malè vel dicendi, vel ſcribendi modum tenuerunt. Itaque *Heraclium* hunc, tot quamuis victoriis aduerſus Perſas & Saracenos nobilitatum, fungum, tamen, & hebetem, & hominem bello inutilem, nec Imperio Idoneum, hæreticum inſuper & ariolum ſuis libris paſſim appellant. Hiis verò litibus ſemel irretitus, nullum deinceps temporis momentum ad res Imperii, ſeu bello, ſeu pace gerendas vacuum habuiſſe dicitur. Qua occaſione vſi *Abubecrus* primò, qui *Muhumeti* in Califatu ſucceſſerat, & poſt illum *Omar*, ſiue *Haumar*, Ægyptum omnem verſus Auſtrum, deinde ad occaſum verſi, omnem Africam ad Oceanum Atlanticum Romano Imperio eripuerunt. Nondum tamen Saraceni in mare deſcenderant: ea enim gloria *Oſmano*, qui *Almanſor.* *Haumaro* ſucceſſit, reſeruata fuit. Hunc recentiorum aliqui *Almanſorem* appellarunt. Ego verò apud antiquos nullum Califarum antè *Abugiafar*, filium *Muhumedis*, *Abbaſidarum* Regem, *Almanzorem* appellatum inuenio. Sed erat *Almanzor* nō nomē ſed virtutis appellatio, quæ pro ſcriptorum arbitrio magnis ſæpe ducibus in Hiſtoria Saracenica attribuitur.

Cap. 4. *Muhuia.* *Oſmanus* initio ſtatim Califatu *Muhauiam*, quem Latini Scriptores ferè omnes *Mahuiam* efferunt, ad Cyprum inſulam, medio Aſiam inter & Ægyptum ſpatio poſitam, expugnandam miſit. Erat *Muhuia* inſignis bello Dux, multaque & egregia terreſtribus aduerſus Impe-

rium

rium præliis facinora in Asia ediderat; Quam viri industriam, & in rebus bellicis virtutem cum incredibili fortuna conjunctã *Osmannus* perspiciens, dum alii Africani debella rent, eum ad Cyprum, vt diximus, inuadendam misit. Is igitur cum validissima septingentarum nauium classe profectus, insulam intrauit, Constantiam vrbem in ea & ditissimã & munitissimam vi cepit, captamque diruit; insulamque ipsam tributariam *Osmanno* fecit. Incidit autem hæc Cypri à Saracenis clades in annum Domini nostri sexentesimum quadragesimum septimum, quarto *Osmanni* Califatus anno. Jamq; *Osmannus* Asiæ & Africæ Imperio non contentus de Europa inuadenda cogitare cœpit. Aucta tamen classe, eundem *Mahuiam* Rhodum insulam priùs expugnare jussit. Is Rhodũ venit. Nulla tum Imperatoris toto illo tractu classis erat: turbatæ quippè erant Imperii res; *Constantinum Heraclii* filium veneno sustulerat nouerca *Martina*, vt *Heraclionem* fratrẽ imperiali solio admoueret: sed eum populus, in cædis *Constantini* vindictam mox morti dedit: post quẽ *Constans Constãtini* filius Imperiũ adeptus, & *Pauli* Episcopi Constantinopolitani impulsu *Monothelitismum* amplexus, mille malorũ causa fuit. Interim *Mahuia* Rhodũ nullis viribus defensam capit. Fœlix illa omni tempore insula, sed nulla vnquam ætate rerum affluentia major. Author est *Sabellicus* ex *Mutiano*, quem ter consulem fuisse refert, septuaginta tria signorum millia olim Rhodi fuisse censa. præter centum Colossos, hoc est, ingentis molis Deorum

Cyprus à Saracenis capta.

Constans Imperator.

Rhodus à Saracenis capta.

Coloſſus. hominumuè ſtatuas, quas *Plinius* ibidem ſuo tempore numeratas refert. Sed inter omnes, eminebat illa à *Demetrio* Rege, quo tempore vrbem illam obſidebat, *Charetis* Lindi artificio erecta. Hanc alii Solis, *Strabo Jouis* fuiſſe dicit. Cujus cujus autem fuerit, inter mundi miracula à *Strabone* recenſetur. Hæc ſtatua, multis antè ſæculis terræ motu quaſſata fractis cruribus corruerat. Eam verò reſtituere, veteres Rhodii, religione incuſſa, neglexerant. Sed eam nunc *Adabaia*, ſeptuaginta cubitorum longitudine quum eſſet, in fruſta comminutam aſportauit. Nonaginta autem camelorum onus fuiſſe dicitur. Decem certè cubitis *Nabuchodonoſoris* illo, qui *Belo*, hoc eſt, *Joui* Aſſyrio dicatus fuerat, altiorem fuiſſe conſtat. Erat enim hic ſexaginta tantum, vt eſt apud *Danielem* Prophetam, ille verò ſeptuaginta cubitorum fuiſſe traditur. Sed hoc ipſo quinque pedes altior fuit Coloſſus, poſtea à Romanis, *Veſpaſiano* ſeptimum, *Tito* quartum conſulibus, via ſacra collocatus, vt refert *Dion*.

Cap. 5. Expilata Rhodo Saraceni Cycladas aliaſque maris Ægæi inſulas vaſtare pergunt. Vndè digreſſi Siciliam appellunt. Totam primùm oram maritimam populantur. Mox interiora peruadunt. Nec dubium erat quin, creſcentibus ſucceſſu rebus, ipſam Italiam breui inuaſuri eſſent. Qua re intellecta *Olympius* Rauennæ Exarchus cum claſſe, quam ex vetere *Auguſti* inſtituto, Rauennæ tenuit non procùl Neapoli occurrit. Quoniam verò primum hic cum nouo hoſte in mare contrahendum certamen erat, idcò

Pugna prima nauali inter Chriſtianos & Saracenos ad Neapolim.

ideò Olympius cautiùs omnia adminiſtrabat; naues quam potuit firmiſſimas, & cum cætero inſtrumento & apparatu, tum præcipuè milite inſtructas, duxit. Milites verò cum quo genere hoſtium res futura eſſet, per ſingulas naues diſcurſando, monet. Nouam & impiam, & Chriſto aduerſam nuper ſectam in Arabia pullulaſſe monſtrat. Eam maritimis præliis hactenùs parùm aſſuetam eſſe oſtendit. *Makumeti* illos gladiatorio Prophetæ fidere, ſe in Chriſto Dei filio fiduciam ponere. Nec *Mahuia* ad ſuos ſilentium tenuit. Prophetam *Mahumetem*, & Dei amicum, pugnantibus in prælio adfuturum ſpondet. Se *Abrahæ* ſemen, ſe *Sara* oriundos, ad ſe terrarũ orbem diuinis vaticiniis ſpectare jactat. Proindè pugnam, auidè ineant; nec ſe indè niſi victores reuerſuros voueant. Hiis præceptis imbuti in pugnam vtrinque ruunt, & atrox vtrobique cædes editur. Nec jam artibus ſed viribus certatur. *Mahuia Mahometem* inuocat; Chriſtiani illum procùl indè ad Meccham jacere per ludibrium vociferantur. Ad extremum pulſi Saraceni fugiunt, & Siciliæ littus repetunt. *Olympius* fugientes inſequitur: & in terram ſimul cum fugientibus ſe ejecit. Nec priùs deſtitit, quam Saracenos ad vnum omnes, qui pugnæ ſupererant, inſula expuliſſet. Ingens erat in hac pugna Saracenorum ſtrages. Nec incruenta Chriſtianis victoria manſit. Ipſe *Olympius* non vulnere, ſed contracta ex diutino labore & fatigatione febre, lætus & veluti ludibundus paucis poſt diebus expirauit: nam ad cæteros, qui in nauali illa acie

ceciderunt

ceciderunt attinet, nemo erat, qui eorum ſortem ſuperſtitibus & victoribus non anteferret.

Cap. 6. *Mahuia* viuus ex hoc incendio elapſus & in Ægyptũ vnde ſoluerat reuerſus, ingentia mala Chriſtiano nomini machinatur, & Aradum, antiqui nominis inſulam, non procùl à Tyro poſitam, inuadit. Iacet autem Aradus, ut Tyrus, in ipſo mari, longiùs tamen à continente quam ipſa Tyrus diſſita: nec aliud quam petra erat, ſeptem ſtadiorum ſpatium ſuo ambitu complexa. Par ſpatio murus erat. Habitatoribus vrbs plena adeò, vt domus pluribus tabulatis in altũ ſurgerent; ſingulaque fere tabulata, vt in frequentiſſimis vrbibus fieri ſolet, ſingulas familias habuerunt. Aquæ vena nulla in ipſa vrbe reperitur: itaque vel pluuias cœlo cadentes ciſternis accipiunt, vel ex continente, ad vberiorem copiam, aquationem faciunt. Si tamen bellum aliquando ingruat, diuina quadam ſorte, quæ nullum locum ſuis ad victum donis carere patitur, adjuuantur. Juxta enim vrbem in ipſo maris profundo, fons perennis & dulcis aquæ ſcatet; in quem veluti in puteum ſitulam, plumbo grauẽ, ventre laxã, ore anguſtam, operculo munitã, funiculo demittunt: vbi ad fundũ peruenit, operculũ attracto funiculo aperiunt: vbi plenum ſenſerint, rurſus remiſſo fune os vaſis claudunt, & ad ſe trahunt. Erat porrò hæc vrbs, poſt *Alexandri* tempora communne omnium Regum gentiumque aſylum: nec noxæ illis dabatur, ſi quem vel ære alieno preſſum, vel quocunq; ſcelere contactum, recepiſſent, & poſtulatum dedere recuſaſſent; id eis eo facilius

Aradus inſula & ciuitas.

ab

ab omni hominū genere delatū eſt, quòd cum claſſem validiſſimam haberent, Cilicas tamen Iſauros in vicinia poſitos, & latrociniis maritimis omni tempore infames, odio ſemper haburunt, nec vnquam in piraticæ ſocietatem cum illis vt venirent, induci potuerunt. *Mabuia* totā vrbem claſſe circundedit, omniq; arte militari ad muros ſubruendos vtitur. Sed quū tota ciuitas muro & mari cingeretur, ſeneſq; paritèr & mulieres ad mœnia tutanda accurrerent, adueniente jam hyeme, obſidionem ſoluit. Neuè fruſtrà tempus brumale tereret, claſſem longè quam priùs ampliorem, & operibus machiniſque inſtructiorem comparat. Rebus ad votum comparatis, proxima æſtate Aradum repetit: vrbem vallo nauali vndiquaque claudit. Aradii, cum quo hoſte res eſſet memores, nec vllam præterquam in victoria ſalutis ſpem habentes, eadem qua priùs virtute mœnia tuebantur. Sed cum *Mabuia*, catapultis, aliiſque miſſilibus & tormentis, ex turribus, quæ nauibus impoſitæ erant, excuſſis, muros defenſoribus nudaſſet, ſubierunt ſtatim arietes, & mœnia, nemine jam impediente, quatiebant. Mox etiam ſcalas muris admotas cerneres. Itaque vel per patentes ruinis muros irruebant, vel quà facultas dabatur, ex ipſis muris, quos ſcalis ceperant, ſe in vrbem demiſerunt. Crudelis erat hæc intra vrbis mœnia decertatio, conſtipatuſque vir o vir, vt in anguſtiis deprehenſi, dimicabant, vmbonibuſq; alteros alteri protrudebant; donec ad extremū cæſi Aradii omnes interierunt. *Mabuia*, victoriam tanto labore & ſanguine partam

Aradi expugnatio.

partam exoſus, quum jam hoſtem in quem vltrà ſæuiret, ſuperſtitem non haberet, in mœnia, & ædificia vrbis iram crudelitèr effudit. Locum verò ipſum, quod de Tyro olim vaticinio prophetico cantatum fuerat, *in petram limpidam* reduxit; adeò quidem vt per aliquot indè ſæcula cultorem aut incolam non inueniret.

Cap. 7. Capta Arado, *Oſmannus* rem naualem impenſiùs quam antè curare cœpit: quumque alii ferè principes, Archidapiferos, Archipincernas, Stabuli etiam & Fabrorū Comites habere ſoleant, hic *Fabrorum naualium Comitem*, ſiue Præfectum, quendam nomine *Abdulatherem* conſtituit; cui id vnum muneris incubuit, vt claſſes quā maximas ſemper & ex optimo genere conſtructas in naualibus haberet. Anno igitur decimo tertio *Conſtantis* Imperatoris, *Oſmannus* claſsē ad Tripolim in Syria non procùl Arado conuenire juſſiit. Faſſuſq; errorem, quod Siciliam longè poſitam priùs aggreſſus fuerat, ipſam jam nunc vrbem Conſtantinopolim eodem *Mahuia* Duce inuadere parabat. Erant eo tempore, in vrbe Tripolitana, duo fratres, buccinatoris cujuſdam filii. Hii quum quid pararetur perſenſiſſent, pridie quam proficiſcendum erat, auſaci incœpto ad carcerem Tripolitanum, cum æqualium ſuorum globo, accedunt, carcerem effringunt, Romanorum vim magnam, qui eo incluſi tenebantur, ſoluunt: factoq; in ipſum Ammiram, hoc eſt, claſſis Præfectum, à *Mahuia* huic expeditioni deſtinatum impetu, eum obtruncant. Quo facinore patrato, ad portum pergunt: nauibus,

nauibus, vt ſtipatæ ſtabant, ignes diuerſis partibus injiciunt, nec ex tanta claſſe vnam nauiculam Sol poſterus ex illo incendio remanentem vidit. Juuenes, æterna ob tam fidelem Chriſtianis nauatam operam memoria celebrandi, ſcapham nacti, & priuſquam diluceſceret, arrepta fuga, Conſtantinopolim abierunt.

Conſtans, quum quanto in periculo verſaretur animo perpendiſſet, magnam & ipſe claſſem contrahit; Enimuerò hoſtem non ſub Conſtantinopolis mœnibus expectandum, ſed vltrò in Syriæ littoribus quærere inſtituit. Interim *Mahuia* de Conſtantinopoli inuadenda dies noctesque cogitat. Et *Abdalather* nouam claſſem Saracenica potentia, quæ ingens jam in mare eſſe cœperat, dignam extruxerat: cum qua *Mahuia* ipſe, (cognito per exploratores quod Imperator Romanus non procùl indè ad Phœnicem Lyciæ ciuitatem cum claſſe ſtaret) profectus, ante portum aciem explicuit. *Conſtans*, quamuis inſomniis, vt aiunt, turbatus & territus, moram tamen pugnæ facere, nec ex Majeſtate, nec ex vſu ſuo fore exiſtimabat: Omnia enim circà loca hoſtilia erant: nec dubitabat quin ſi ſe in ſtatione teneret, hoſtis eum ad anchoras ſtantem (quo nihil iniquius) vltrò inuaſurus eſſet. Itaque naues educit, & ſignum pugnæ fiduciæ teſtem prior dedit. Antè tamen quam pugnam iniret purpuram Imperatoriam vni ex buccinatoris, quem dixi, filiis geſtandam tradidit; ipſe ſago militari indutus, non vno in loco pugnam ciet. Sed diſcurrendo, ſeque ſuis quacunque venerat confeſſus, omnes virtutis

Cap. 8.

Pugna naualis ingens ſed Chriſtianis luctuoſa.

tutis ſtimulos pugnantibus admouit. Famam, fidem, ſalutem, fortunam, ſuam, liberorũ, Imperii, omniũ, in illorum manibus & virtute, illo die poſita eſſe vociferatur. Hos eoſdem eſſe Saracenos, quos *Olympium* nuper ad Neapolim è mari in Siciliam, è Sicilia in mare tam vaſta cæde expuliſſet. Et Exarchus, inquit, Rauennæ canes iſtos latrantes compeſcere, & in morſum ruentes trucidare potuit, ego Imperator veſter eorum impetum ſuſtinere & retundere non valebo? Interim verò *Buccinatoris filius*, vt non paludamento magis quam virtute, & re ſtrenuè geſta, hoſtem falleret, ſumma nauis prætoriæ puppe ſtans, & vtrique aciei fulgente purpura & armis conſpicuus, ingentia belli edidit facinora, omniumque in ſe, ſed præſertim *Mahuiæ*, oculos conuertit. Verùm inſuperabilis erat illo die Saracenorum vis; nam & viribus, & nauium quũ genere, tum apparatu, & præſertim militum multitudine præſtabant. Et quacunq; ſe inferebant, ordines hoſtium turbabant, naueſque alias incurſibus fregerunt, alias terrore & impetu auerterunt, ſaltuque ſe in hoſtium naues vndiq; dederunt. Jamq; paſſim Chriſtianorum labare cunei; ſed *Conſtans* vbiq; nudata facie, vt à ſuis agnoſceretur, fluctuantibus & jam terga vertentibus occurrit, acienq; reſtituit. *Mahuia*, quum claſſem hoſtilem omni parte inferiorem, ſola Imperatoris virtute & exemplo ſtare, & pudore magis quam virtute à fuga ſe temperare perſenſiſſet, firmiſſimarum, quas habuit, nauium cuneum in Prætoriam direxit, omneſq; ſimul, vt Imperatorem ſeu comminus,

minus, ſeu eminus, peterent admonuit. Tandem disjectis, quæ Prætoriam circumſtabant, hoſtium navibus, ad ipſam peruaſit. Buccinatoris filius, quum jam irrumpentes cernerer, è puppe in foros deſilit; comminuſque cum irruentibus congreſsus, ſtragem dedit. Nec difficile fuerat pugnantem interficere, ſed *Mahuia* Imperatorem Romanum viuum capere, quam occidere, malebat. Interim *Conſtans*, quum nulla ampliùs aciem reſtituendi, capta prætoria, disjectis & diſtractis reliquis, facultas aut ſpes relinqueretur, vili ſed velociſſimo navigio, quod ad ſubitos caſus in parato habebat, exceptus, aufugit. Quò pugna diuturnior, & virtus pertinacior erat, eò & cædes in reſiſtentes major edebatur. Ferunt eo die totum inter Lyciã, & Cyprũ mare, ſanguine Chriſtiano infectũ apparuiſſe. *Buccinatoris filium*, quo longius fugiendi ſpatium Imperatori ſuo daret, hoſtium errore diutiùs abutebatur; donec tandem agnitus, à *Mahuia*, in ludibrii vindictã, cũ reliquis, qui viui in poteſtatẽ venerant, occiditur. Sunt qui rẽ eandẽ alitèr referunt. *Conſtantem*, non à pugnæ initio, ſed in extremo demùm periculo conſtitutũ, veſtẽ Imperatoriã gregaria mutaſſe; buccinatoris verò filiũ eũ inuitũ & reſtantem, in aliud navigiũ tranſtuliſſe, & ejus clamyde indutum vltrò mortem pro Domino, qui interim aufugit, oppetiſſe. Sunt etiam qui non *Mahuiam*, ſed *Abluluiherem* Fabrorum navalium præfectum, hanc victoriam adeptum memorant; alii *Mahuiam* hanc victoriam adeptum non negant, verum non *Oſmanni*, ſed ſuis auſpiciis

ſpiciis rem geſſiſſe tradunt; Ego magis exiſtimo ipſum *Mahuiam*, idque non ſuis ſed *Oſmanni* auſpiciis huic prælio interfuiſſe; ea ductus ratione, quod, quum paulò poſt *Hoamem* Saracenorum Ammiras, à ſuis interfectus eſset, *Mahuia* per Syriam & Ægyptum Ammiras in ejus locum ſuffectus ſit, cæſoque demùm *Oſmanno* in Califatus diſceptationem cum *Aly* venit: quorum neutrum fieri potuiſset, ſi *Mahuia*, decimo tertio *Conſtantis* anno, quo *Oſmannum* in viuis fuiſse conſtat, *Caliſa* fuiſset. *Conſtans* Conſtantinopolim reuerſus, nihil vltrà aduerſus Saracenos mouit. Et forte accidit, vt graue bellum de Præfectura Ægypti inter *Mahuiam* & *Mahumetem Abubecri* filium ortum, omnia in Oriente pacata Chriſtianis redderet.

Cap. 9. Imperator tempus hoc idoneum ad res in Occidente contra Longobardos gerendas eſſe ratus, claſsē Athenis conuenire juſſit. Ipſe eodem pedeſtri itinere quum veniſset, oram ſoluit, & ſine omni maris ventorumuè injuria in Italiam peruenit; vbi nulla ei facultas res contra Longobardos gerendi relinquebatur. Sed mota ei à *Martino* Papa & *Maximo* Presbytero de Monotheliticiſmo lite, omiſſis Longobardis, aduerſus hos ſe tueri coactus eſt: multaque, frendens quòd à rebus contra communes Imperii & Eccleſiæ hoſtes gerendis diuerteretur, egit, quæ ex ſuopte ingenio facta eſse nollet. Indè vt ſanguinis, & expilatarum Eccleſiarum reus à Romanis ſcriptoribus exagitatur: Igitur *Conſtantius*, quum conſiliorum ſuorum exitum

tum in Italia non inuenirent, in Siciliam conceſſit, breui inde in Græciam tranſmiſſurus. Sed à ſuis, quos ſibi fidiſſimos exiſtimabat, in balneo, ſitulâ in caput ejus ab *Andrea* quodam, quo miniſtro vtebatur, impactâ periit, quum ſeptem & viginti annos imperâſſet.

Conſtantinus filius audita patris nece, validam confeſtim claſſem comparat, & in Siciliam profectus, pœnas de parricidis, vt pium filium facere par erat, ſumpſit. Hic eſt ille *Conſtantinus*, qui *Pogonatus* dicitur; ea ſcilicet de cauſa, quòd quum vix prima lanugine Conſtantinopoli profectus eſſet, tandem toto ſexennio in Sicilia exacto, barba non plena ſolùm, verumetiam promiſſa reuertiſſet: & verò opportunè admodum Conſtantinopolim reuertit: compoſitis enim jam inter ſe Saracenis rebus, nihil humile aut mediocre, ſed de ipſa Imperii ſede, & vrbe Conſtantinopoli inuadenda rurſus cogitare cœperant; antè tamen quàm obſidionem hanc adornarent, claſſibus in occidentalem Africam miſſis, incredibilem ibi hominum pecudumque & ædificiorum ſtragem edita, infinita millia captiuorum abduxerunt. Alia etiam in Siciliam claſſe miſſa eam fædè diripuerunt. Nec ipſe *Conſtantinus* curis interim Conſtantinopoli vacauit: ſtultus enim populus, prauo ingenio, ſed impio conſilio & abominando, quum duos fratres bonos, vtiles & ſui amantiſſimos Imperator haberet, vtroſque cum eo pari Imperio eſſe oportere vbique vociferabantur, eo ſcilicet vſi elogio, *Si in Trinitatem credimus, tres ſimul Imperatores coronemus.* Quid abſurdius? Cap. IV

Conſtantinus Pogonatus.

ſed eò tamen perducta res eſt, vt Imperator rem gratam ſe habere ſimulans, diem ad eam peragendã præſtituerit; quumq; conueniſſent, autores cõſilii, immiſſo milite, nec opinantes protriuit: fratres verò ſuos in cuſtodiam miſſos, primum naribus (ea tum ſupplicii placebat ratio) deinde eorum alterum contumaciùs agentem vita inſuper (quandoquidem imperii rebus, quæ tum grauiſſimè inſtabant, gerendis obſiſterent) priuauit.

Cap. II. Dum hæc geruntur, moritur *Oſmannus*, & ingens inter *Alim* & *Mahuiam* de Califatu diſcordia oritur; ea verò tandem, intercedentibus amicis, hiis conditionibus finitur, vt poſitis armis, *Alis* Iracam, hoc eſt, Arabiam & Ægyptum, *Mahuias* Syriam obtineret; neque alter alterius ditionem cum exercitu aut prædatione ingrederetur. *Mahuia*, qui non alia re magis, quam ſtrage Chriſtianorum creſcere cupiebat, cognito quid Conſtantinopoli per illos dies ageretur, & in tam diſcordi ciuitate omnia armis ſuis prona & oportuna fore ratus, *Mahumatem* & *Caiſum* Duces, in Ciliciam & Lyciam cum claſſe apparatiſſima præmiſit, & copias in ſupplementum eo loco expectare juſſit. Nec ita multò poſt, *Seuum* cum alia claſſe æquè valida, & poteſtate pari miſit, vt ſimul junctí vrbem Conſtantinopolitanam terra marique obſiderent. *Conſtantinus* rebus, vt potuit, magis quàm vt voluit, domi conſtitutis, magnam & ipſe claſſem apparat; triremes pleraſque, miræ tum & inſolitæ magnitudinis, quæque veterum Rhodiorum more ignem roſtris præferebant

bant, & Dromonas adjecit: quæ quamuis & ipſæ triremiũ numero interdùm accenſeantur, minoris tamen molis & ad curſum habiliores erant. Anno igitur quinto Imperii *Conſtantini* ingens illa claſsis Saracenica ad vrbem venit. Saraceni omnia ab *Hebdoma*, quod ex ſuburbiis vnum ad Occidentem ſpectabat, vſque ad Cyclobium, quod ad Orientem protendebatur, occupabant. *Conſtantinus* ex omnibus ſimul naualibus, (quatuor autem Conſtantinopoli tum erant) educit; comniſsoque acritèr toto die prælio, æquo Marte ſub veſperam diſceſsum eſt. Mirum eſt, quod de hac oppugnatione traditur, maritima enim omnis ferè erat: quæ cum à primo Vere ad Autumnum perduraſſet, rarò vlla dies ſine vniuerſarum copiarum congreſsu abiit. Sub hiberni ſideris ortu, Saraceni Cyzicum, vrbem in Aſiæ littore paulò inferiùs juxtà Helleſpontum poſitam, ſe in hiberna receperunt; vndè primo vere ſoluentes inſtructa ad pugnam claſse rurſus Conſtantinopolim accedunt. Venientibus fit obuiam cum ſua claſse Imperator. Fit pugna: neutro inclinata victoria, nox prælio finem fecit. Vtque rem longam breui oratione complectar, totas ſeptem æſtates continuis præliis inter ſe naualibus, quod nunquam antè fando auditum, abſumunt. Quo toto tempore, nunquam Imperator obſeſsæ vrbis mœnibus, præterquam ad manum cum hoſte conſerendam, prælens ſemper interfuit. Fortunamque nunc proſperam nunc aduerſam, animo ſemper æquabili, & prout res ferebat, vel moderato, vel forti tulit. Digna profecto

Continua ſeptem æſtatum pugna.

fecto res, seu vrbem, seu bellum spectes, quæ *Homericis* versibus decantaretur; quum tamen nec artis, nec virtutis vllum exemplum editum in horum temporũ historia reperiatur. Interim ingens vis hominum vtrinque cæsa, & jactura nauium incredibilis facta: nec in tam pari virtute tamque æqualibus copiis facile æstimari potuit, vtram in partem fortuna inclinaret, donec ad extremum, quidam nomine *Callinicus*, (alii *Gelenum* nuncupant) genere Syrus, Constan inopolim transfuga aduenit. Hic Imperatori operam pollicetur, excogitavitque genus quoddam ignis, qui profundo mersus, sub aquis vires suas exerceret, non secus quàm in aere, ungulaque nauigia ad carinas incenderet. Lætus tanto artifice, quique tam dubiis rebus, & in tanto periculo constitutis tam præsens tamque certum auxilium promitteret *Constantinus*, hominem ingentium mercedum spe onerat. Et ille, opus aggressus, magnam classis Saracenicæ partem vno ignis impetu corripuit. Saraceni, quùm ignem è mari surgentem cernerent, nouitate rei attoniti, toto statim mari sparguntur, nec se nisi superato Hellesponti freto tutos fore sperantes, eò celeritèr, & contusis ordinibus contendunt; confertimque fretum ingressæ naues mutuis inter se ictibus multæ perierunt. Græci fugientes inlequi noui ignis metu non audebant, veriti ne & ipsi iisdem flammis, si propiùs accederent, haurirentur: classis verò Saracenica extra Hellespontum progressa in terribilem incidit tempestatem; qua classis reliquiæ pœnè

Ignis Græci inuentor.

omnes

omnes abſumptæ ſunt. Nec in præſens modo vtile erat hoc inuentum, ſed ſæpè alias, ſuperiores Saraceni alioqui in congreſſibus tuturi, oſtenſo igne, ſubitò territi aufugerunt; ignis vero iſte variis nominibus appellatur: nunc enim Græcus, nunc marinus, nunc ſubmarinus, nunc humidus apud autores appellatur. Tanta autem fuit hæc victoria, vt *Mahuia* primum, deindè ejus ſiue exemplo, ſiue hortatu, cæteri omnes gentis Saracenicæ Amiræ, ſiue Amirathes, pacem à *Conſtantino* ſub certo ſtipendio peterent. *Conſtantinus* pacem cum Infidelibus facere noluit, ſed inducias in triginta annos dedit: Verùm quam glorioſæ fuerunt hæ induciæ Saracenis datæ, tam deformis fuit à gente Bulgarica paulò poſt, ſub annuo tributo, accepta pax: quam rem, quandoquidem mare non tangit, nos etiam intactam hoc loco relinquemus; vtraque verò, tam pacem quam inducias, ſuo & Imperii malo filius & ſucceſſor ejus *Juſtinianus* ejus nominis ſecundus violauit.

Hic Cyprum, quam Saraceni tenebant, inuaſit: Arabaſque omnes nauigiis vno commeatu impoſitos migrare juſſit: nauigantes truculenta & fera tempeſtas inuaſit, paucoſque admodùm vel homines, vel naues ſuperſtites reliquit. Multa etiam *Juſtinianus* tam in domo ſua quam in Imperio crudelia admiſit. Quibus commoti vrbis Conſtantinopolitanæ ciues eum, præciſis priùs naribus, in exilium egerunt. Tum *Leontius* Imperio admotus; eum verò *Abſimarus* imperiali culmine deturbauit: Cap. 12.

bauit. Sed vtrumque poſt aliquot annos in exilium actos, cum ſectoribus ſuis, in poteſtatem redegit *Juſtinianus*, & variis ſuppliciis cruciatos, morti tradidit. Forte accidit, vt dum à ciuibus reuocatus Conſtantinopolim claſſe peteret, in ferociſſimam tempeſtatem incideret. Quumque in eo eſſent omnes vt ſingulis momentis ſubmerſionem expectarent, quidam ex amicis, *Rogo te*, inquit, *Imperator, vt votum Deo faciat, te inimicis parciturum*; at ille, *Si fecero*, inquit, *Deus me hic confeſtim mergat*. Victoriam igitur Bulgarorum auxilio mox partam crudelitèr exercuit; nec vlli hominum, qui vel leuiſſima conſpirationis aduerſum ſe initæ ſuſpicione contactus fuerat, pepercit. Reſtitutus verò, Imperatricem, numeroſa ad deducendum claſſe miſſa, ab exilii loco accerſiuit. In itinere inauditæ feritatis tempeſtas nauigantes occupat: in qua magna hominum nauiumque jactura facta memoratur. Cujus rei fama accepta, Bulgarorum Rex per nuntium non immeritò hanc ei cladem contigiſſe monuit; nam quid, inquit, tanta claſſe, ad rem, quæ tribus quatuoruè ad ſummum nauigiis æquè commodè tranſigi potuiſſet, opus? grauis hæc quidem clades, niſi grauior mox incidens illius ſenſum omnem & memoriam hominum mentibus exemiſſet. Cherſonæ, in Ponto ciuitate, exul vixerat *Juſtinianus*: à cujus vrbis ciuibus malè habitus fuerat, & à quibus ni ſubitò aufugiſſet, in Tyranni *Abſimeri* manus vel viuus, vel mortuus traditus fuiſſet. Itaque nullam vnquam vindictam tantæ injuriæ parem,

Naufragiū.

aut

aut ſe dignam, niſi cum vrbis excidio conjunctam, fore ratus, claſſem & maximam & apparatiſſimam, & ex omni nauiū genere (triremes, Dromonas, Chimæras, vt apud *Diaconum* legitur, ſed vero nomine Cameras, & Chelandia) conſtantem, collata ab omni hominum genere ſtipe, ædificari juſſit; quā cum in mare deduxiſſet, nec ſociis modò naualibus, verumetiam milite ad vrbem Cherſonam expugnandam idoneo affatim complêſſet, editis abominandæ ſæuitiæ mandatis vela facere & remos aptare jubet. Superato ad Boſphorum freto, & jam ipſum Pontum nauigantes, menſe Octobris, ſub exortu Pleiadum, truculentiſſima ventorum rabies fluctibus inuoluit. Hoc naufragio, ſeptuaginta & tria hominum millia perierunt. *Juſtinianus*, quum poſt aliquot dies nullum de claſſe ſua nuncium accepiſſet, ipſe arreptis aliquot nauigiis Cherſonam nauigare pergit. In itinere (nec procùl ierat) claſſem in aduerſum tendentem conſpicatus, præſagio motus, & inſolito horrore correptus retrò curſum flexit, pauiduſque & tremens, Conſtantinopoli ſe condit. Qui aduentabat *Philippicus Bardanes* erat; Cherſonitæ enim quum aduerſus ſe nauigari cognouiſſent, & mandata contra ſe ab Imperatore edita non ignorarent, & fortè *Philippicus*, ab exilio reuertens, eodem tempore ad Cherſonam veniſſet, eum Imperatorem, tanquam virum cœlitus ad ſe miſſum, effuſis præ gaudio lachrymis, ſalutabant; rogāt vt ſui, vt ciuitatis ſuæ, vt Imperii Romani, vt denique generis humani miſereri vellet, & hanc peſtem ex orbe terra- *Naufragia.*

rum tolleret. Ille, quum quid claſſi hoſtili contigiſſet, & ex naufragis in littus expulſis, inaudiſſet, & tabularum, remorum, palmularum, ipſorumque ſubmerſorum corporum eodem ejectorum multitudo fidem faceret, conſcenſa ſtatim claſſe Conſtantinopolim contendit. In itinere, naue Imperatoria ex inſigniis, quanquã è longinquo, agnita, concl mant omnes, & *Bardanes*, En, inquit, commilitones, en belluã illã, quam vltrò ſe nobis veluti victimam ad cædem offerentem cernitis. Nunc viribus, nunc lacertis opus; vt priùs quàm terram capiat, in veſtram vel vitus, vel mortuus poteſtatem veniat. Sed *Juſtinianus*, nauigii celeritate fretus, priùs portum intrauerat, & indè trepidus ad domum Auguſtalem confugerat. *Philippicus* magna fiducia fugientem inſequitur, & jam frequentiore ciuium quam militum multitudine ſtipatus, *Juſtinianum* ad cædem depoſcit. Nihil vnquam ciuibus gratius lætiuſue contigiſſe potuit. Itaque non tam juſſu *Philippici*, quam conſenſu populi, miſſi extemplò, qui latitantem perquirerent. Illi juſſa exequuntur, & occiſi caput referunt; factum crudele, ſi vlla in tanti ſceleris inmanitate vindicanda crudelitas eſſe potuiſſet. Indè pax cum Saracenis & Bulgaris repetita.

Cap. 13. Hoc ipſo tempore, *Blondus*, vno quaſi impetu, Saracenos, omnem priùs Africam ad Oceanum Atlanticum mirabili ſucceſſu perdomuiſſe, & ſeptimo indè menſe à Septa in Hiſpaniam tranſmittentes, eam omnem pari celeritate ſub jugum miſiſſe refert; iſtaque omnia

ſub

ùb primis ferè *Juſtiniani* Imperatoris annis contigiſſe memorat; ſed nullo judicio. Rebus certè Imperii ſub *Juſtiniani* Imperatoris facti, infecti, refecti, confecti, *Leontiique* & *Abſimari* tempora diſtractis, *Johannes* quidam Africæ, à *Leontio* Imperium adepto Præfectus, primos Saracenorum inſultus multa virtute repreſſerat. Sed veritus ne ſi iteratò cum claſſe appellerent, tam fero hoſti par futurus non foret, cum claſſe quam habuit, Conſtantinopolim, Imperatorem de periculo, cui tum prouincia illa expoſita videbatur, certiorē præſens facturus, nauigauit. Saraceni igitur hac occaſione vſi (vt milite ſemper abundabant) cum ingenti ſimul claſſe & exercitu in Africam redeunt, eamque omnem, nemine prohibente, occupant; & ſedes ibi ſuas, (*Muſa* Admirathe, ab *Vlid*, gentis Saracenicæ per Arabiam, Ægyptum & Africam Miramamolino ſiue Principe, conſtituto) locant. Tranſitus verò Saracenorum in Hiſpaniam antè annum Domini ſeptingenteſimum decimum tertium, vt diſertè teſtatur *Rodericus Toletanus*, non eſt factus: iſque per hanc cauſam contigit. Erat quidam *Julianus* in magna dignitate apud *Rodericum* Gothorum in Hiſpania Regem poſitus, pluribus etiam belli facinoribus inſignis; hujus filiam *Rodericus*, *Juliano* per ſpeciem legationis in Africam amandato, vitiauerat. *Julianus* priuatam injuriam vlturus, ad *Muzam* Saracenorum in Africa Amirathem proficiſcitur, injuriam ſibi illatam à Rege ſuo queritur, ſubſidium ad vindictam rogat, flagitat, obteſtatur; denique

Hiſpania à Saracenis inuaſa.

per

per quicquid in terris ſancti ſit, ſe, modo exercitus præberetur, totam Hiſpaniam Saracenis in manus traditurum eſſe ſpondet. Quóque magis credat, Regis vitia, populi odium, opes, clientelas, neceſſitudines ſuas, non vanè memorat. *Admirathes* Miramamolinum ejus rei certiorē facit. Miramamolinus, hominis Chriſtiani fidem in minoris momenti re priùs explorandam ratus, quàm vniuerſus ei exercitus committeretur, quatuor tantum nauigiorum claſſem, cum, quantam illa capere poſſet, cohorte tradi jubet. *Julianus* nihil recuſare; quatuor tantùm nauibus profectus, equiteſq; centum & quadringentos pedites ducens, extra fretum in Bætica terram capit. Eique ſtatim multi odio *Roderici* transfugæ ſe adjungunt. Itaque refertus ſpoliis, numeroque auctior, exercitus in Africam redit. Qua re perſpecta, Miramamolinus quendam nomine *Taricum*, cum juſto exercitu, comitante *Juliano*, in Hiſpaniam, ad eam Saracenico Imperio jungendam, mittit. Neuè nauibus parandis, rerum quæ pararentur rumor ortus, ad Gothos in Hiſpania manaret, contractum longè à mare exercitū, Mercatorum nauibus, quæ tum fortè ad *Septa* ſtabāt, ſubitò impoſuit. Erat antiqua vrbs, ab *Hercule*, *Heraclia* olim dicta, in monte Calpe ad mare extra columnas in Hiſpania poſita. Eam *Taric* primò vi capit, captamque à ſuo nomine *Gebal Taric*, hoc eſt lingua Saracenica, *Montem Tarici*, qui nunc corrupto vocabulo *Gibraltar* dicitur, appellauit. Indè fretum ſubjectum, *Gibraltari angustiæ*, communitèr vocitatum.

Gibraltar.

tatum. Prælium deindè terreſtre erat, in quo vltrà centũ hominum millibus cum ipſo Rege cæſis, regnum Gothorum in Hiſpania concidit: nec vlla ejus pars ab hac ſeruitute immunis fuit, præter Aſturas & Cantabros. Hii montibus & ſcopulis, ſed præter omnia, vt ſæpè aliàs, paupertate ſua tuti, Saracenorum impetum & Imperium vitarunt. Hiis igitur contemptis, infrà triennium, quamin Hiſpaniam venerant, tranſmiſſis Pyrenæis, in Galliam deſcenderunt; ſpecie quidem vt reliquias Gothorum in Galliam refugos perſequerentur, re ipſa vt Galliam Germaniamque, & Europam omnem, continuata victoriarum ſerie, ſubigerent; feciſſentq; forſitan, niſi *Carolus*, cognomento *Martellus*, eis terreſtri acie occurriſſet. Fit duorum tum potentiſſimorum populorum Francorum & Saracenorũ ad ripam Garumnæ, non procul Burdegalia, vel vt Galli volunt, ad Ligerim, juxta Turones, (idque veriùs puto) congreſſus. In quo trecenta & ſeptuaginta Saracenorum millia, cum ipſo Rege *Abderame*, à Francis cæſa fuiſſe ex Lateranenſi Bibliothecario tradit *Sabellicus*. Annales verò Gallici huic numero quindecim millia addunt. Quis non exiſtimaret hac tanta ſtrage Saracenorũ vires fractas & debilitatas fore? id verò tantũ abfuit, vt paulò pòſt nouus Rex, ſiue *Almirathes*, *Athimus*, in *Abderamis* nuper cæſi locum ſuffectus, cum magna claſſe in Galliam Narbonenſem venerit. Quumque oſtium Rhodani ſubiiſſet, expoſtmiſſis vrbes, Nemanſenſem, Narbonenſem, Lugdunenſem, S. Pauli, & demùm Auinionenſem

ſem, cum omni Romana Prouincia, & Burgundiæ parte, occupauerint. Caput tum rerum in Gallia *Carolus Martellus* erat: is confeſtim Auinionem aduolat, vrbem obſidione claudit. Interim alter *Ammirus*, nomine *Amorræus*, Pyrenæo monte ſuperato, cum alio non minore Saracenorum exercitu, auxilio *Athino* accurrit. Qua re intellecta, *Martellus*, nè cum vtroque ſimul hoſtium exercitu confligere cogeretur, cum longè maxima legionum ſuarum parte, *Amorræo* occurrit, & prælium cum eo, cæſo cum Duce exercitu, tranſegit. Indè cum cruentato exercitu Auinionem reuerſus, vrbem expugnat, *Athinumque* cum ſuis qui ſupererant ad naues præcipites egit. Multaq; hominum millia vel in fluminis ripa, vel in maris littore hærentes occidit. *Athinus* conſcenſa claſſe, nè nihil planè acto domum inglorius reuerteretur, Corſicam, Sardiniam, aliaſque vel Italiæ, vel Hiſpaniæ conterminas inſulas immani hominum pecudumque, & tectorum ſtrage deformauit.

Cap. 14. Verùm vt ad *Philippicum Bardanem*, à quo diuertit, reuertatur oratio: Is anno Domini ſeptingenteſimo quarto Imperium accepit. Sed Imperium ſanguine quæſitum, ſanguine amiſit; infrà biennium in ipſa vigilia Pentecoſtes, effoſſis oculis in ordinem redigitur: author hujus ſupplicii erat quidam nomine *Anthemius*, ſed qui poſt Imperium acceptum *Anaſtaſius* vocabatur. Hic Saracenorum motibus intentus, ſub legationis ſpecie exploratores Alexandriam miſit, cum *Vlid* veluti de pace acturos:

acturos: ii reuerſi omnia, non Alexandriæ modò, verumetiam per totam Ægyptum & Phœnicem apparatibus tam naualibus quam terreſtribus aduerſus vrbem Conſtantinopolim faciendis ſtrepere renuntiant. *Anaſtaſius*, hoc audito, Conſtantinopolis mœnia firmat, portus munit, vrbem frumento, aliaque annona ad triennii obſidionem tolerandam inſtruit. Tela, machinas, tormenta, partim antiqui generis, partim nouitèr excogitata, per muros diſponit; ciuium militumque animos ſpe & fiducia implet. Hii verò ſumptus, collata à ciuibus ſtipe, fiebant. Quam ſi quis conferre vel recuſaſſet, vel præ inopia non poſſe fateretur, eum vrbe ſtatim cum familia excedere juſſit, ne in futura obſidione vrbi propter annonam grauis fieret. Antè omnia claſſi parandæ intentus erat, Præfectumque ei rei procurandæ dedit, ſeruique & liberæ conditionis opifices in ergaſtula concluſi dies noctesque pangendis nauibus inſtabant; ſumma verò ei cura de Dromonibus igniferis, & magnæ molis trieribus comparandis erat: has multis vigiliis & ſudoribus, extruxit. Quumque interim per exploratores comperiſſet, Claſſem quandam Saracenorum ad Phœnicem, in Aſiæ littore poſitam, ad lignum cupreſſinum (quo genere ad nauigia firmiſſima ſtrueuda vtebantur veteres) cædendum ſtare, ilico claſſem ſuam ad ea loca dirigit, editis mandatis, vt in intimere claſſem augerent, naueſq; hoſtium, vnà cum lignis, incendio conſumerent. Claſſis Anaſtaſianæ Præfectus nomine *Johannes* erat: is

quum

quum Rhodum veniſſet, mandataque Imperatoris, & quid pararetur, expoſuiſſet, ſubitò à præſidiariis confoditur; tumultuq; orto, *Theodoſius* quidam, nullius numeri vir, ſed tributorum publicorum collector, Imperator ſalutatur: cumque ille poſt ſalutationem clàm ſe in ſolitudinem abripuiſſet, diligentèr quæſitus, & bono animo eſſe juſſus, neuè Imperium oblatum præ timore reſpueret rogatus, vi tandem victus parnit, ſeque rebus, quas nunquam anteà attigerat, & publicis & bellicis gerendis accingit, & contracta claſſe vrbem Conſtantinopolim, quandoquidem neceſſe erat, obſidione terra marique claudit. *Anaſtaſius* claſſe, & munitionibus, quas aduerſus Saracenos parauerat, contra rebelles ſuos vti coactus, omnia diligentiſſimè adminiſtrabat. Nec ciuium ei fauor defuit. Claſſis vrbica, in portu *Mammæ*, (nomen locus à *Mammæa Alexandri* Imperatoris matre olim accepiſſe dicitur) ſtationem habuit. Indè educta per ſex continuos menſes, ita vt vix vna diecula intermitteretur, claſſe, cum hoſtibus conflixit. Quibus exactis, *Theodoſius* rem toties fruſtrà tentatam, ad tempus omiſit. *Anaſtaſius* indolem & vires hoſtium ſeneſcere jam ratus, claſſem *Neorium*, vrbem non longè poſitam, quicquid erat negotii, nauigare juſſit. Quam occaſionem, qui intra vrbem *Theodoſii* partibus fauebant nacti, eum cum exercitu, per Blachernarum portam, noctu intromiſerunt: ibi fœda ſtrages per omnes domos edita; ipſe *Anaſtaſius* viuus in hoſtium poteſtatem, pacta ſalute, venit. Nec *Theodoſius* fidem læ-

ſit,

ſit, habitu modò monachali eum induit. Ita *Anaſtaſium* poſt annum & tres Imperii menſes, regiam cum priuata vitam commutauit. Nec *Theodoſius* vltra annum Imperium ſic quæſitum tenuit. *Leo* enim, quem nunc *Conona*, nunc *Iſaurum* cognominant, Orientis tum Prætorio Præfectus, ſe quam *Theodoſium* digniorem ratus, Imperium inuaſit, & *Theodoſium* ſe dedentem, nihilo, quam ille *Anaſtaſium*, duriùs tractauit, ſed pro Monacho in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in clericum unà cum filio totondit.

Hic eſt ille *Leo*, qui diſciplinam militarem proximorum Imperatorum, *Theodoſii*, *Anaſtaſii*, *Philippici*, *Juſtiniani*, ignauia corruptam & collapſam ſentiens, *Tactica* illa, quæ etiamnum extant, imperiali autoritate munita, in lucem edidit. In quibus, quicquid ad arma, & armaturas, quicquid ad tela, & tormenta, ad inſidias, ad expeditiones, ad copias vel comparandas, vel alendas, vel inſtruendas, vel conſeruandas, vinque in bello, vel inferendam, vel propulſandam, quicquid denique ad acies, ſiue terra, ſiue mari dirigendas attinet, eo ingenio & judicio traduntur, vt omnes omnium hiſtoricorum libros fruſtrà præ illis & inutilitèr ſcriptos fuiſſe putes. Ab hoc vero *Leone*, non ab aliquo priorum, Tactica illa edita fuiſſe indè conſtat, quod omnes belli artes in illis traditæ, aduerſus Saracenorum, Bulgarorum, & *Turcorum* apparatus excogitatæ fuiſſe diſertè memorantur; quarum quidem gentium nomina illorum temporibus vix audita, nullo certè

Cap. 15.

Leonis Tactica.

certè facinore celebrata fuerant. Hoc verò regnante ad immenſam omnes potentiam excreuerant, bellaque vel inter ſe, vel aduerſus Græcos magnis viribus gerebant. Magnus planè in omni genere vir, quique ſummorum Imperatorum famam gloria æquaſſet, niſi imaginum cauſam aduerſus Romanæ Eccleſiæ ſectam oppugnaſſet. Hujus enim vnius ſceleris apud illos reus quibus non conuitiis à Latinis paritèr Græciſq; Scriptoribus laceratur? verba *Sabellici* apponenda cenſui. *Neſcio* (inquit) *quo malo fato, multò fuit hic Leo diuturnior, quam humanis rebus expediret; viginti enim & quatuor imperauit annis, orthodoxæ enim fidei, & Romanis Pontificibus, rectioris dogmatis odio, fuit plus quam hoſtis.* Interim res ampliſſimas ab eo geſtas adeò parcè & malignè recitat, planè vt eum partium ſtudio hominis vel virtutibus, vel ſucceſſibus inuidiſſe ſcias; idem & *Blondus*, quem *Sabellicus* imitatur, facit. Nos verò decet eam præſertim victoriarum ejus, quæ mari quæſitæ ſunt partem, quandoquidem eæ ſola ad noſtrum inſtitutum pertinent, verè & fidelitèr perſcribere, nec tantam viri virtutem in obſcuro eſſe pati. Faciã autem, ſi prius, quod in omni hiſtoria facere par eſt, temporũ, in quibus verſamur, rationem paucis habuero. Septingenteſimum nimirùm æræ Chriſtianæ annum ingreſſi ſumus.

Cap. 16. Anno igitur ſeptingenteſimo decimo tertio Longobardorum, (quos à *Naſete* in Italiam ſub exitu *Juſtini* Imperatoris vocatos diximus) Rex regnũ iniit, anno verò ſequente *Gregorius*

gorius ſecundus Pontificatum Romanum accepit: *Leo* verò cognomento *Iſaurus*, anno, vt Hiſtorici ferè volunt, decimo quarto, vt Chronologi ſeptimo decimo ſuper ſeptingenteſimum Imperium iniit: Cui altero ab initio Imperio anno, *Zulzimim*, aliàs *Zulzimen*, quem Latini, vulgato jam nomine, *Solymannum* vocant, Saracenorum per Aſiam, ſeu Armirathem, ſeu Caliſam (variè enim traditur) cum ingenti claſſe in Thraciam tranſgreſſum, vrbem Byzantii terra mariq; obſeſſurum, eſſe nunciatur. quoniam verò vrbs ipſa, vtpote in peninſula poſita, majore ſui parte ad mare expoſita erat, ideò præcipua maritimæ obſidionis cura vtrumque tenuit. *Solymannus* ter mille nauium claſſem, vt vult *Blondus*, trahens, primo ſtatim aduentu, omnia circum loca occupabat. Secundo verò quam aduenijſſet die, copias omnes educit & hoſti pugnandi copiam facit: tanta autem nauium multitudo erat, vt omne inter Magnatiū & Cuclobium ſpatium complerent. Nec minorem *Leo* nauium vim habuit: nam præter eas quas *Anaſtaſius* parauerat, multas ipſe vel nouas feſtinato opere extruxerat, vel aliunde accerſitas armauerat: & nauium inſuper genere præſtabat: Saraceni enim Cumbariis, magnis illis quidem, ſed plane caudicariis & crudi materia ſtructis, & tardioribus vtebatur. *Leo* verò præter magnum eximiæ magnitudinis triremium numerum, cæteros omnes, ſiue Galeas hoc eſt moneres, ſiue biremes, exquiſitiſſimas omnes arte paratas, & omni inſtrumento bellico refertas habuit. Maximam tamen ſpem in

Byzantii obſidio.

tormentis igniferis ponebat. Ea verò non vnius generis erant. Siphones erant æneæ, quibus ignes cum tonitru & fumo in hoſtem ejaculabantur. Eſt autem Siphon, autore *Heſychio*, fiſtula ſiue canalis, quo ad reſtinguenda incendia aquas ejaculare conſueuerunt: cujuſmodi fortè & nos hodiè Londini aliiſque in vrbibus ad ſubitos incendiorum caſus vtimur. Vnde ſumpto exemplo tormentum ad ignem magna vi & cum ſpiritu protrudendum, fabricati jam fuerant. Nec video quid inter bombardos noſtros, & Siphonas illas interſit, niſi quod veteres hiis ad ignes, nos illis ad lapides, vel plumbeos ferreoſuè globulos in hoſtem emittendos, vtimur. Erant tamen & Siphones minores, quas Græci *Cheiroſiphonas* dixerunt, nos *Siphonas manuales*, vel *Plinium* ſequuti *Siphunculos*, dicere malumus, quas ipſis manibus, vt nos Sclopetos, tenentes, in hoſtes dirigebant. Erant & ollæ teſtaceæ calce viuo plenæ, quibus dum injicerentur confractis, calcis viui puluis igni admiſtus in ora & oculos ſic volabat, vt non ſolùm viſum auferret, verumetiã ſpiritũ ipſum intercluderet. Sed maxima in igne marino, de quo antea mentionẽ fecimus, vis erat; eratque hoſti maximè formidabilis. Sic igitur inſtructus *Leo* claſſem ad pugnã educit, veritus ne hoſtis vltrò in ipſos vrbis portus inuectus ſtantes adoriretur, muroſque penitùs ſubiret, tormentaq; & machinas per mœnia diſpoſitas fruſtrareretur, & ex ipſis nauibus muros vrbis ſcanderet. Sed ventus in Auſtrum ſubitò conuerſus, & Saracenorum claſſem longè à mœnibus ſummouebat, & *Leonis* claſſem

Siphones.

classem majore vi in summotos ferebat. Edito igitur signo, magno impetu naues igniferæ, primis in ordinibus constitutæ, in hostis Cumbaria mole sua laborantia impetum fecerunt; simul ignes omni parte Siphonibus emissi classem hostilem flammis protinus inuoluerunt. Nihil illo die, gladiis, sagittis, hastis, balistis, alioue telorum genere actum; ignis omnia occupabat, Siphonumq; & ollarum igniferarum fragor, veluti tonitru nubibus excussum, Saracenorum animos turbabat, mistusque insania & desperatione luctus, gemitus & ejulatus tota hostium classe audiebatur. Antè omnia ignis marinus vndiquaq; emicans timore constrictos, & veluti vinctos, tenuit. Nam quid, *inquiunt*, ignes aquis restinguere paramus, quum mare non ardere modò ipsum, verumetiam naues nostras à carinis incendere videmus? *Leonem* verò ea vna cura perstrinxit, nè sui hostibus se temerè immiscerent, pugnæque minimè, vt res ferebat, necessariæ cupidine flagrantes, suis ipsi ignibus conflagrarent. Interim Saraceni fugam trepidè parabant: sed quâ, quoue fugerent, fumo cœlum subtexente, nesciebant; nec si sciissent, profuisset fuga, quum lethalis planè ignis nauium & lateribus, & carinis penitùs adhærens omnia depasceretur. Itaque tota impiorum classis momento temporis deflagrauit. Paucæ modò nauiculæ maturè fugientes nuntiæ cladis abierunt, in quarum vna exceptus *Solimannus* salutem in præsens fuga quæsiuit; quanquam & is ipse paucis pòst

diebus, ſiue ex dolore animi, ſiue inter pugnandum igne afflatus periit. Sunt tamen qui eum in ipſa obſidione ex morbo deceſſiſſe ſcribant. *Solimanno* verò in Califatu ſucceſſit *Haumar*. Is primo vere *Suphian* claſſis Ammiram, ad Conſtantinopolim rurſus obſidendam & expugnandam ex Ægypto miſit: quanta verò fuerat hæc claſſis, indicio fuerit, quod quadringentas naues onerarias, quæ reliquæ claſſi commeatum ferrent, ad Helleſpontum veniſſe memoratur. Cujus aduentu cognito *Leo* Imperator claſſem eduxit, & pugnandi copiã hoſti Propontidem ingreſſo fecit. *Suphian* verò ſimul ac in conſpectum venit, & Siphonas ad proras nauium extantes vidit, ipſo aſpectu territus, Bithyniam, ad dextram conſtitutam, ſe fuga contulit, & in portu Boniagri latuit. Paulò pòſt & alia in ſupplementum claſsis ex Africa, cujus *Gizia* Ammiras fuit, Propontidem intrauit. In hac claſſe trecentæ naues bellicæ erant, præter onerarias: occurrit *Leo*, fugit *Gizia*, & Choartam, portum ſatis munitum, in Aſiæ littore non longè à Boniagro ſitum, petit. Erat in vtraque Saracenorum claſſe Ægyptiorum magna vis; hii noctis concubio clàm congreſſi, formidinemque mutuam ab igne illo humido ſiue Græco faſsi, conſilium ineunt ad Imperatorem transfugiendi. Sed quum naues ipſas Saracenorum portubus educere non valerent, lintribus, qui onerariis deſeruiebant, vſi, adultæ jam noctis tenebris egreſsi, Conſtantinopolim transfugiunt. Ab hiis, de omnibus

quæ

quæ apud hoſtes agerentur, edoctus, vereri cœpit *Leo*, nè tantæ Saracenorum claſſes ſic in vicino ſtantes, occaſionem nactæ, vel portubus, vel mœnibus vrbis ſubitò & improuiſò incidererent, & graue aliquod incommodum, aut forſitan exitium, inferrent. Sed quum diligentiùs perquirendo, hoſtium naues propter multitudinem, quod neceſſe erat, confertiſsimas in vtroque portu ſtare, nec excubias more nauali agere, comperiſſet, naues aliquot è ſuis omni ignis apparatu armat, eaſque, ſecunda vigilia, in vtrumque portum à Saracenis inſeſſum, ſuccenſas immittit. Nec tam prudenti incœpto euentus defuit. Vtramque claſſem ignis depaſcitur, & ingentem militum nautarumque vim, ſemiſomnes hos, illos ſomno oppreſſos perdit. *Haumar*, quũ quid claſsibus ſuis, contigerat accepiſſet, rem toties fruſtra tentatam tandem omittendam eſſe cenſens, claſſem alteram, copiaſque omnes, quæ in Thracia, vario euentu, per aliquod tempus bellum geſserant, cum Duce Muſulmano, omiſsa Europa, ad ſe in Aſiam redire jubet. In itinere inſolita tempeſtas, & qualis olim *Sodomam* & Gomorrham vrbes oppreſsit, nauigantes afflixit. Verba *Pauli Diaconi* aſcribenda cenſui; *Grando*, inquit, *ignea deſcendens ſuper eos, aquam maris ebullire fecit: & pice nauium liquefacta, ſimul cum hominibus naues inductæ ſunt in profundum.* Ex tanta claſſe decem tantùm naues incendium vitarunt, quarum quinque in hoſtium mox poteſtatem veneruñt; reliquæ, quantumuis laceræ, viuæ *Naufragiũ.*

tamen ad *Haumarem*, cladis nuntiæ redierunt; cladis, in qua ſuprà triginta Saracenorum millia deſiderata fuiſſe, author eſt rerum Turcicarum ſcriptor diligentiſſimus *Lonicerus*.

Cap. 17. Nec quietiores interim res in Occidente erant. *Luitprandus* Longobardorum, vt antè dixi, Rex totam, qua patet, Italiam Imperio complecti nititur, ipſique vrbi Romanæ obſidionem & excidium denuntiat. Quæ res *Gregorium* Pontificem anxium & ſollicitum habebat. Venetorum verò ciuitas hoc tempore non vno malorum genere laborabat, ſed inteſtina Inſulanorum diſcordia præcipuè grauabatur: cujus illa cauſa & origo erat; quod ſingulæ ab initio inſulæ, à ſuo Tribuno, veluti tyranno aut regulo, regebantur: inter quos, non jurgiis, non fuſtibus, ſed gladiis, & internecino ſæpè bello dimicatum eſt. Quæ res, juncto Longobardorum à terra, & Piratarum à mari metu, vniuerſis de ſumma rerum cogitationem & ſollicitudinem injecit. Communi igitur conſilio *Ducem* creant. Is notæ præter omnes juſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis vir *Paulus*, cognomento *Heraclienſis*, erat; qui Ducatū adeptus, Tribunatus omnes ſuſtulit, *Luitprandum* placauit, & certis conditionibus cum eo pacem fecit; vt hoc metu pro tempore ſolutus, rem Venetam aduerſus futura cum Longobardo certamina firmaret. Quoniam verò plurima circum flumina in ſtagnum Venetum ſe emittunt, Padus, Natiſon, Atheſis, & alia, per quæ ex continente latrones ſchaphis inſulas inuecti deprædabantur,

Paulus primus Venetiarum Dux.

bantur, ideò omnium fluuiorum oſtia munitionibus & præſidiis firmari curat. Edicit deindè vt vnaquæque Inſula pro facultatũ modo certum nauium bellicarum numerum militariter inſtructum & in procinctu haberet, naualiaque & caſulas nauales extrueret; quarum veſtigia ad ſuam vſque ætatem manſiſſe refert *Coccius*. Nec ſtruxiſſe ſat erat: munimenta nualibus addere juſſit; planè vt cum Ducatu nouum ver in humido illo Venetorum campo refloruiſſe videretur. Hiis vero rerum fundamentis jactis, deceſſit *Paulus*, eique in Ducatu ſucceſſit *Marcellus*: cui poſt nouem annos defuncto ſucceſſor datus eſt *Horleus*, cognomento *Vrſus*. Is res nauales, à *Paulo* ad ſalutem comparatas, ad ciuitatis illius gloriam ampliandam, & Imperium in majus prouehendum vertit. Sub hæc tempora, *Ildeprandus Luitprandi* nepos, & copiarum Longobardicarum Præfectus, Rauennam inopinatò aggreditur: quo auſu, toti primum mari ſupero, deindè & vniuerſæ Italiæ, terribilis apparuit: Nec magni moliminis res erat; Claſſenſe primùm oppidũ improuiſo occupat, claſſemque in nauali conditam incendit. Mox eodem impetu vrbem ipſam nihil hoſtile à Longobardis propter fœdera metuentem inuadit. Exarchus (cui nomen *Paulus*) vt in re trepida profugit, Imperatorem per litteras rei certiorem facit, vrbes Imperii per Italiam conſtitutas circuit. Sed quum nihil opis aut auxilii tota reliqua Italia inueniret, Romam venit. Ibi cum Pontifice

Horleus Venetorum Dux.

Gregorio, ihſenſiſſimo *Leonis* Imperatoris hoſte, ſupplex egit, ne imaginum ſtudio Imperium Romanum in Italia vſque ruere, & in barbari poteſtatem venire ſineret. Quumque Pontifex nihil in ſe opis aut ſubſidii aduerſus tam potentem hoſtem eſſe reſponderet, Exarchus, ſaltèm vt per litteras ad Senatum Venetum datas, ei cauſam Imperii commendaret, petit. Id Pontifex non grauatè fecit. Mittuntur litteræ. Quibus lectis, viſum eſt Senatui, Pontificem parùm verecunde à ſe petere, vt in alieni hominis gratiam tantum bellum ſibi concitarent. Egit tamen rurſus cum Pontifice Exarchus, & obtinuit, vt ſecundas ad Senatum litteras daret; Quumque ſub idem tempus litteras etiam à *Leone* in eandem ſententiam, & ad Senatum ſcriptas, accepiſſet, vtraſque ipſe pertulit. Quibus vtriſque motus *Horleus*, poſtero die Exarchum in Senatum introduxit: vbi longa oratione multiſque rationibus contendit, vt ſibi jam profugo, vt *Gregorio* Pontifici, vt *Leoni*, vt Italiæ, vt Imperio denique Romano ſuccurſum eſſe vellent; & Rauennam vrbem fero, barbaro, immani hoſti, à quo nunc capta tenebatur, è manibus eriperent; facilè incendium hoc à Rauenna Venetias tranſiturum eſſe ſubinde monens. Nec quicquam nunc in Italia, præter ipſam Romam capiendam reſtare, antequam vniuerſas vires ad Venetiarum vrbem, vel delendam, vel ſubjugandam conuerterent. Surdis omnium, præterquam vnius *Horlei*, auribus omnia canebantur: non quod vera quæ audiebantur

diebantur non esse existimarent; sed religione turbatæ erant mentes, propter fœdus non ita pridem cum Longobardo à *Paulo* duce suo initum; Impium & profanum bellum in profugi gratiam susceperunt, quod Deo mox sanctisque omnibus iratis gesturi essent: pugnam scilicet inirent, violatorum fœderum & perjurii rei. Frangere & attollere vires in milite plerumque causam; quam nisi justam esse senserint, arma sæpe è manibus medio in conflictu, ni potiùs in primo congressu excidere. Quod vt sensit *Horleus*; enimverò eam rem ad se maxime pertinere dixit: Ideò se tam consentientibus omniũ studiis Ducem electum, vt ciuibus suis violatorum fœderum & perjurii author fieret? Longè, inquit, hoc ab *Horlei* consiliis, votis, cogitatibus absit. Ego multum Pontificis litteris, plurimùm Imperatoris legationi, communi Italiæ, Ecclesiæ,& Imperii saluti omnia tribuo. Sed me vita priùs destituat, quam hæc cogitatio animum meum subeat, fidem, qua res Veneta hactenùs stetit,in vllius vnquam gratiam esse violandam. Quam eandem cum vobis mentem inesse video, perpetuis temporibus,vt insit, voueo. Verùm ad rem præsentem quod attinet; Quis, inquit, fidei, aut fœderis violati metus? aut quod nos vnquam cum Longobardo fœdus sanximus, quod non illi jamdudum per scelus ruperint? Fœdus non ita pridem cum *Luitprando* icimus: Sed in quo disertè cautum sit, vt ita fœdus teneret, si Longobardi ab Imperii & Romanæ Ecclesiæ rebus vim abstinerent.

Itaque

Itaque vt Ecclesiæ res omittam, quas Longobardus variis præliis, & multarum vrbium deprædationibus fatigauit, Rauennã modo intuemini, vrbem Imperii, Exarchatus sedẽ, qua capta, nihil in Italia, quod Imperator suũ esse dicat, super futurũ est. Eam Barbarus contra fœdera nuper cepit, Exarchum ejecit, reliquæ Italiæ omni imminet; ipse Exarchus, non humanæ modo conditionis spectaculum, verumetiam vrbis ab hoste barbaro miserrimè direptæ veluti spectrum adest; vestram opem, vestram fidem implorat; & nos purum & pium, cum Longobardo bellum gesturi simus necnè dubitamus? nam ad reliqua quod spectat, nulla vnquam à jactis vrbis fundamentis vberior, vel gratiæ apud amicos, vel gloriæ ad exteros, vel potentiæ aduersus finitimos quærendæ occasio oblata fuit; quam si in præsenti omiserimus, frustra eam posteà, nec sine dedecore & ludibrio requiremus. Fœderis deinde instrumentum proferri, & verba recitari jussit. Magno omnium consensu audiebatur, & torpentes priùs religione animos excitari apparebat. Gratiæ deinde in Senatu Duci actæ, quod plus cæteris vidisset, quod errore Senatum, religione Rempub. exoluisset. Exarchum in Senatum reuocari, reuocatum bene sperare jubent. Inde capita, de re transigenda, conferunt. Placuit, vt Exarchus, in præsenti, tanquam negatis auxiliis, tristis è Senatu & vrbe excederet, tempus & modum rei gerendæ præstituunt. Tristis ad suos abit Exarchus, & ad exercitum, qui non

longè

longè à Rauennæ mœnibus ſedebat, redit. Poſtridie ſpargitur ſubitus, per Venetiarum primò vrbem, mox per littora adjacentia, rumor, Saracenos cum ingenti claſſe aduentare. Properè igitur, ut in re trepida, deducuntur, armantur, complentur naues; jamque in altum exierant, quum ſubitò conuerſi, ad Rauennæ muros ſera nocte naues applicant. Edito ſigno, *Paulus* auerſam murorum partem cum exercitu aggreditur. Fit clamor, omnes ad vim hoſtium arcendam accurunt. Interim *Horleus* ſilente claſſe ad mœnia accedit, milites exponit; ii primum nuda ſubſidiis mœnia inueniunt, priuſque ſcalas mœnibus admouerant, & portam mari obuerſam perfregerant, quam Longobardi oppugnationi, quæ à terra inciderat, intenti, vllum à mari periculum inſtare ſenſerant: tum partitis copiis vtrinque pugnari cœptum, & magna vtrinque cædes, vtpote in arcto congreſſis, & confertis edita. Sed *Horleus* cohortem militum ad eam portam, qua *Paulus* pugnam inſtruebat, refringendam miſerat; qua aperta, *Paulus* cum exercitu irrupit. Ibi Longobardi in medio cæſi; atroxque per tenebras graſſabatur cædes. Prima luce à cædibus temperatum, & *Ildeprandus*, militiæ Longobardicæ Præfectus, viuus in *Horlei* poteſtatem venit. *Horleus* vrbem ſua virtute receptam Exarcho tradidit: Nec plura moratus, *Ildeprandum* ſecum captiuum trahens, Venetias magna cum gloria priùs redit, quam quo tetenderat vulgo ciuium innotuerat. Hic primus dies Venetæ virtuti

Rauenna recepta.

virtuti per orbem terrarum lucem dedit, eratque illi vrbi verè alter natalis. Ex hoc enim tempore Venetiarum vrbs mundo ſe oſtendere, & pro magna virium acceſſione, quacunq; ſe inclinauerat, haberi cœpit.

Cap. 18. Verùm vt ad *Leonem* redeam, vndecimo Imperii anno major eum belli moles ab infenſis ciuibus vrgebat, quam quæ paulò antè à *Sohymanno* Saraceno vel *Haumare* ingruerat. Erat in Imperio vir magnis opibus & autoritate *Agalianus*; is ex tota Græcia, inſuliſque adjacentibus, claſſem contraxerat. Conjurationis verò participes, claſſis Imperatoriæ Præfectos, *Stephanum* & *Coſmum* habuit. Cauſa rebellionis erat infœlix illa de imaginum adoratione, quæ ex Italia in Græciam jam tranſierat, controuerſia. Quarta decima igitur Kalendas Maii totis Imperii viribus ante vrbis mœnia nauali prœlio confligitur. *Agalianus*, quum in eo eſſet vt caperetur, in mare ſe præcipitauit. *Coſmus* & *Stephanus*, viui in *Leonis* poteſtatem veniunt. Vtrique caput præciditur, & pax Imperio ad tempus redditur. Non omittendum hoc loco cenſui quod paucis ante hoc bellum motum diebus in mare contigiſſe traditur. Duæ ſunt juxta Atticã inſululæ, quarũ altera *Thera*, altera *Therafia*, (quæ nunc *Santorini* eſt) dicitur. Medio inter has & Atticã ſpatio, ignis ex profundo maris erupit; idq; inceudium per aliquot dies tenuit. Neq; verò ignis hic ſua materia, qua aleretur, caruit. Sulphur erat, quod è terra expulſum, & tactu aquæ primùm,

Nauale prælium.

mùm, mox aëris denſatum, paſtum flammæ à ſe genitæ præbebat. Quo demùm excocto, pumices, in quorum cauernulis ſulphur, crudum adhuc, vt in fauorum latebris mel, vel in ſpongiis aqua continetur, pondere jam vacui toto mari fluitabant. Id verò non magis mirum rectè intelligentibus videri debuit, quam quod in lacu Aſphaltite ſingulis annis fit: Vbi bituminoſa materia ex imo lacu in aquæ ſuperficiem liquida ſurgit; ſed contracto mox aëre concreſcit, & duritiem, quam bituminis propriam eſſe videmus, contrahit. Idem in flumine Euphrate ſupra Babylonem ſæpenumerò contingere, author eſt *Procopius*. Quid? quod *Herodotus*, fluuium nomine Inbitumen liquidum in Euphratem effundere teſtatur. Hoc tantùm intereſt, quod in iſtis bitumen è terra cum fumo expellitur; in hoc, ſub terra priùs incenſum & inflammatũ, per mare deinde non aliter quã per Ætnæ, vel Veſuuii ſpiracula, in maris ſummitatẽ protrudebatur. Quippe omne ſulphur hoc in ſe à natura habet, vt ſi incenderis, aquæ reſiſtat; noſque paulò ſuperiùs ignem ſubmarinum, & ſub ipſo mari vires ſuas exercentem, arte confectum fuiſſe docuimus. Nam quod de pumicibus toto mari poſt incendium fluitantibus dixi, nihil ea re (vt à nautis accepi) in mare ad Inſulam *S. Michaelis*, ex Azoribus vnam, vſu frequentiùs euenire ſolet. Nec qui ſic fluitantes vident, aliud eos eſſe putant, quam ſulphuris ſubterranei reliquias, & veluti teſtas è terra in maris ſuperficiem expulſas. Argumento fuerit,

rit, quod pumices hodiè & plurimi, & præſtantiſſimi, in Inſulis Æoliis, juxta Siciliam poſitis, (quas totas ſulphureas eſſe nemo neſcit) reperiantur. Denique bis teruè hoc ipſum in Mari Mediterraneo per hæc tempora contigiſſe, teſtantur illorum temporum hiſtoriæ. Veruntamen hæc res vt ſpectantium oculos ipſo viſu terruit, ita futura præſagientium animos aliorum alitèr affecit. Hii numinis à *Leone* propter imaginum cultum ab eo impugnatum offenſi, ſignum, illi in Pontifices propter cultum à ſe ad tabulas & lapides tranſlatum irati, manifeſtum indicium eſſe interpretabantur. Sed vt hoc in obſcuro erat; ita illud nihil in ſe ambigui habuit, quod ſupererat *Leoni* vitæ, totum infœlici hac aduerſus Pontifices Romanos concertatione euanuiſſe.

Cap. 19. Interim *Gregorius* ſecundus, decimo ſexto Pontificatus ſui anno, qui fuit *Leonis* Imperatoris decimus quintus, æræ verò Chriſtianæ ſeptingenteſimus triceſimus primus, moritur, & *Gregorius* tertius in ejus locum ſufficitur. Is, quum habito Italorum Antiſtitum conuentu obtinuiſſet, vt *Sanctorum imagines*, (verba *Blondi* paritèr & *Sabellici* ſunt) *majore quam vnquam veneratione in templis colerentur*, ipſum *Leonem* contra tendentem piorum communione priuauit, tributum fiſco per Italiam inferri vetuit, vrbis Præfectum vrbe ejecit: nec vllus Imperatori, propter tot bella tanta virtute aduerſus Saracenos Chriſti hoſtes geſta, reuerentia aut honos habitus: ſed eo expulſo *Gallum*

lum in partes vocabat. Neuè Pontifex Romanus inutilis *Gallo* cliens cenſeretur, *Zacharias Gregorii* ſucceſſor Francorum regnum à juſto Domino in *Martelli* filium *Pipinum*, cognomine *Brenem*, tranſtulit. Mox etiam *Leo* tertius *Carolum Pipini* filium cognomento *Magnum* occidentalis Imperii inſignibus ornauit; quo facto Saracenis primò, mox etiam Turcis, via in Chriſtianos per Orientem conſtitutos impunè graſſandi data eſt. Confeſtim enim *Aaron* Saracenorum Armirathes cum trecentis hominum millibus ex Ægypto in Aſiam, quâ terra, quâ mari irrupit, vt vrbes & prouincias, quæ Saracenicæ tyrannidis, vel odio, vel metu, Imperio Romano hactenùs adhæſerant, auelleret; nec *Nicephorus* Imperator, acciſis jam Imperii viribus contra tendere audebat, ſed pacem annuo tributo conſtituto emit: pudendam planè, ſed neceſſariam, nec tam ipſi, quâ *Carolo Pipini* filio, & Pontifici Romano oppobrio dandam: Interim res in mari longo annorum curriculo, præſertim in Occidente ſiluerunt: cujus rei ratio hæc erat. Hiſpania anno Domini 712 maxima ſui parte edomita, qui in Aſturas & Cantabros confugerant, *Pelagiũ* Ducẽ ſequuti, latrociniis primùm, mox juſto bello, arma, ex montiũ anfractibus, & inacceſſis rupibus, ſaxetiſq; & ſyluis (Saracenis loca plana & culta tenentibus) mouebant. Quumq; aliquot victorias de Saracenis ductu *Pelagii* reportaſſent, eũ communi omniũ conſenſũ Regẽ Hiſpani, non Gothorũ ſed Hiſpanorũ creant. Ad hunc *Pelagium* Hiſpanorũ ad

hunc

hunc diem Reges genus ſuum referunt. Mortuo verò *Pelagio*, eundem aduerſus Saracenos belli gerendi curſum tenuit filius ejus *Fauila*. Cui ſine prole defuncto ſucceſſit *Aphonſus*: qui propter eximiam religionis Chriſtianæ curam *Catholici* cognomen meruit. Qui titulus *Recaredo* Gothorum Regi propter repudiatam *Arrii* ſectam in Concilio Toletano olim tributus fuerat. Et patrum noſtrorum ferè memoria, à *Julio* ſecundo *Ferdinando* Arragoniæ Regi, propter hos ipſos Saracenos, ductu *Gonſalui*, Hiſpania ejectis pro inſigne honoris traditus, ad poſteros ejus veluti gentilis & hæreditarius deſcendit. Sed hæc omnia bella inter Chriſtianos & Saracenos ſiue in Hiſpania, ſiue in ipſa Gallia geſta terreſtria erant: nec minores aduerſus Germanos, Burgundiones, Aquitanos & Longobardos, hoc eodem ſæculo res à *Carolo Martello*, & ejus filio *Pipino* gerebantur, ſed quæ ad mare pertinerent nullæ. Deniq; magnũ illud & memorabile bellũ, quod à *Carolo Magno* aduerſus Saracenos in Hiſpania geſtum erat, quodque ab *Arioſto*, Poeta Italo, eodem plane modo quo Trojanũ ab *Homero*, nec minore ingenio decantatur, nihil in ſe quod ad mare, ad naues, ad claſſes vllo modo ſpectare videatur, habet. *Sabellicus* modò *Carolum Magnum* claſſem ad Bononiam, qua in Angliã aduerſus *Offam* Merciorum tum in Anglia Regẽ trajiceret, parâſſe refert. Noſtri etiam Annales ſimultates inter duos Reges ortas, & interdictum hinc inde Mercatoribus commercium non negant.

Sed

Sed *Offa* penſatis rebus, & cum quo hoſte, omnium ſcilicet Europæ gentium domitore, rem habiturus eſſet, animo quum reputaſſet, miſſis Legatis iratum Galli animum placavit. Corpus verò Saracenicum hoc ipſo tempore, præterquam quòd à *Leone Iſauro* grauitèr afflictum, ciuili inſuper bello diuulſum, & in membra diſtractum fuerat: quorum quod libet per ſe ſumptum, magni tamen Imperii inſtar habuit. Tota uni Aſia, alteri Ægyptus & Æthiopia, tertio Africa, eaque mox in quatuor ingentia regna, Feſſæ, Moroccæ, Tunetis, & Tremiſen diſtributa, quarto Hiſpania cum Inſulis adjacentibus, ceſſerat: ſed nihil in mare ab alteris in alteros per hos annos motum legitur. Nam ad Græcos Imperatores quod attinet, ægrè illi ſe adverſus finitimos Bulgaros hoc tempore tuebantur: nec Saracenos in Aſia, quamuis mutuis inter ſe cladibus attritos, mouere, conſilii erat, quum præſentioribus ipſi bellis tam domi quam in Italia, propter imagines impugnatas laborarent.

Cap. 20. Enimuerò *Leo*, inconſultiùs multò quam rerũ ſuarum, & temporum illoruũ ratio ferebat, ſigna & imagines lõgo vſu receptas, tota vrbe Conſtantinopoli conuelli juſſit. Populus facto concitus in regiã irrupit, & Imperatoris familiares, & miniſtros obuios obtruncat. Eam verò injuriam Leo *Sacræ Scholæ* incendio, & profeſſorum in ea docentium nece vindicauit. Inde Græci, tam qui inſulas, quã qui continentẽ incolebant, claſſẽ aduerſus Imperatorem contrahunt; eamq; quum aliis belli inſtrumentis armant, tum igne

Græco affatim inſtruunt. Dum confertim nauigant, ignis aduerſus Imperatorem paratus in ipſos vertit, temeréque ſuccenſus, vniuerſam claſſem incendio abſumpſit. Major tamen rerum in Italia ſuperabat moles: *Gregorius* cjus nominis tertius, Pontifex Romanus, vt Chriſtianæ religionis hoſtem anathemate percuſſit, & populos à Sacramenti religione ſoluit: Inde Rauennæ, Romæ, Capuæ, Præfectorum *Leonis* ſequutæ cædes. Quum verò de nouo Imperatore in Italia creando conſilia ciues agitarent, *Gregorius* (cujus mens tota aliò ſpectabat ne id fieret, interceſſit; anno verò ſequenti, qui erat Chriſti ſeptingentefimus vicefimus ſeptimus, omiſſo noui Imperatoris creandi conſilio, vniuerſus populus Romanus ſolenni Sacramento, *ſe Pontificis vitam, ſtatumq; in perpetuum defenſuros, atque ejus, in omnibus rebus, autoritati obtemperaturos jurauit*; quo facto, Roma, Romanusque Ducarus, à Græcis, ad Romanos Pontifices tranſlatus eſt. Id *Gregorio* curæ priùs, nunc cordi erat: id conſilium gratum ratumque habuit. Quam rerum inclinationem ſequutæ ſunt omnes per Tuſciam & Latium, & magnam Campaniæ partem cum ipſa Capua ciuitates. Hoc autem *Caroli Sigonii* in ſua de regno Italiæ hiſtoria fidem ſequutus retuli. Quæ ſi vera ſint, potentiæ profectò Pontificiæ natalis, non ad *Conſtantini*, non ad *Caroli Magni* tempora & donationes, ſed ad hunc annum & hunc Pontificem, cujus poteſtas, hoc primum jurejurando munita, ſacroſancta eſſe cœpit, referri debet. Hac verò opera Romanæ ſedi nata

Romani Pontificis autoritas.

uata, moritur *Gregorius*, eique ſufficitur *Gregorius* ejus nominis quartus, qui prædeceſſoris ſui veſtigia premens, totam ſibi Italiam conciliare, & ipſos Longobardos officiis ſibi obſtringere nitebatur: Id videns *Leo*, copiis Italicis non amplius fidendum ratus, decimo ſexto Imperii ſui anno, claſſem cum exercitu in Italiam miſit; quæ quum proſpera nauigatione ad Mare Adriaticum peruenisſet, ibi graui tempeſtate oborta, diſiecta paſſim, & ſæuo naufragio lacerata periit.

Claſſis Græca fluctibus oppreſſa.

Fuit huic *Leoni* filius nomine *Conſtantinus*, ejus nominis ſextus. Is anno Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo primo patri in Imperio ſucceſſit. Vir ſtrenuus & Imperio vtilis. Hunc, quod in Baptiſterio olim, dum lauaretur exquiſita naturæ (vt fama erat) reddidiſſet, *Copronymum*, hoc eſt, *Stercoreum* abominando cognomine appellabant; malumque & impium, & iconoclaſten ſcriptores inconolatrici ſubindè nuncupant; Veruntamen multas hic magnaſque res aduerſus Bulgaros geſſit, claraſque de hoſtibus victorias reportauit; plures reportaturus, ſi ſuis & Imperii viribus aduerſus communes nominis Chriſtiani hoſtes vti licuiſſet. Jam primùm Imperium ingreſſus cum claſſe validiſſima, Saracenici regni caput, Ægyptum bello petere & debellare inſtituit. Sed nondum terræ illius littora attigerat, quum per nuntium certior fit, *Arthaſtum*, Iconoplaſtarum perfidia, ipſam vrbem Conſtantinopolitanam cum tyrannide inuaſiſſe: Itaque omiſſa Ægypto Conſtantinopolim redit, vrbem obſidione

Cap. 21. *Conſtantinus Copronymus.*

& operibus capit; capto *Arthauſtus* viuus in poteſtatem venit; Imperator lumina ademit; ſpiritum in tenebris ducendum reliquit. Bis deindè claſſem aduerſus Bulgaros adornauit, bis aduerſis tempeſtatibus naufragium in Euxino fecit. *Sabellicus* vnius tantùm naufragii meminit; ſed in quo, bina ferè nauium millia periiſſe refert. Triginta quatuor hic annos imperauit; filiumque reliquit nomine *Leonem*, ejus nominis quartũ. Hic viuo adhuc patre, *Irenem*, Scythicæ gentis mulierem, vxorem duxit, & ex ea *Conſtantinum* filium, Imperatorem ejus nominis ſeptimum, ſuſcepit. Quem, ipſa quæ in lucẽ edidit, inaudito ſcelere, luminibus poſtea priuauit, Imperioque, vt ſola rerum potiretur, dejecit. Incidit autem hoc *Irenis* in filium ſuũ facinus, in annum Domini ſeptingenteſimum nonageſimum ſeptimum. Trennio verò poſt, hoc eſt, anno reparatæ Salutis octingenteſimo, *Carolus*, genere Francus, cognomento *Magnus*, Imperator Occidentis à *Leone* tertio, Pontifice Romano, Romæ creatus & conſecratus eſt.

Cap. 22. *Danorum in Angliam aduentus.*

Anno mihi non hac vna re memorabili; nam & hoc eodem anno Dani, qui Cimbri olim erant, primùm in hanc noſtram Angliam appulerunt. Omni quidem ætate gentes illæ Boreales maris vſu multùm valuerunt. Indicio fuerit, quod quum *Druſus Germanici* pater, littus Germanicum claſſe olim armata legeret, in Viſurgi fluminis oſtio claſſem hoſtilẽ reperit, cum qua concurreret. *Tacitus* etiã in libro, quem de moribus Germaniæ inſcripſit, Suionas, hoc eſt, Suedos, gentem in ipſo (vt ait) Oceano poſitam claſſibus

classibus valuisse, diuersamque à cæteris, & sibi propriam nauium formam habuisse memorat; Nosque superius diximus Saxonas, ejusdem tractus populos, circa annum Domini quadringentesimum & quinquagesimum, terræ Britannicæ dulcedine allectos, huc appulisse. Sed nulla istarum gentium cum Danis comparanda fuit: Hii igitur, bis eodem anno, diuersis partibus, terram in Anglia ceperunt: alii ad Portlandiam, alii ad Humbri fluminis ostium; vtrobique prædas agunt; sed quum latrocinii in modum, non belli more agerent, facilè ad naues sunt compulsi; nec indè quicquam præter loci notitiam pro tempore retulerunt. Anno verò sequenti Lindisferniam intrarunt, vbi Saxonas, qui tum rerum in Anglia potiebantur, graui prælio afflixerunt; peracta verò cæde ad mare reuersi Occidentale Insulæ latus, Hiberniæ obuersum inuaserunt. Vbi cum Britannis Indigenis conjuncti, aduersus *Egbertum* Saxonem, primum Angliæ Monarcham, magno, sed luctuoso, Britannis simul & Danis, prælio depugnarunt. Veruntamen anno sequenti auctis classibus Thamesim fluuium, & *Sceppiam* in eo insulam occuparunt. Indè Londino vrbi, Cantiique prouinciæ graues incubuerunt. Sed indè tamen, *Egberti* viribus ejecti, breui abierunt. Frustrà ego omnes Danorum in hanc insulam nostram appulsus, & impetus commemorauerim; erant enim, vt non magni, singuli, ita omnes numero infiniti, nec vllus regni porticulus erat, in quem illi nauibus nunc pluribus, nunc paucioribus non appellerent. Sed sub annum

Dani in Angliam veniunt.

Domini octingenteſimum tricesimum octauũ, regnante tum *Ethelwolpho Egberti* nepote, rurſus Thameſim cum trecentarum quinquaginta nauium claſſe ſubierunt; incenſiſque omnibus quas adibant vrbibus, in ipſa inſulæ viſcera penetrabant, omniaque ferum in modum ferro & igne depopulabant. Vno tamen prælio fracti, ad mare claſſemque ſuam veluti ad natale ſolum ſe receperunt; auctioribus mox copiis reuerſuri. *Ethelredo* enim, *Ethelwolfi* filio natu minimo regnante, ſub annũ Salutis octingenteſimum ſexageſimum ſextum, cum claſſe ingenti ad Orientale inſulæ latus, Ducibus *Hungaro* & *Hubba*, appulerunt: nec minoribus copiis, alia ejuſdem gentis claſſis Occidentalem inſulæ partem ſub *Seerego* & *Haldeno* Regulis occuparunt. Hii junctis copiis *Ethelredo* bellum, de totius inſulæ gleba decertaturi, intulerunt; cruentaque prælia diuerſo euentu depugnata, quorum altero Danorum Regulus *Haldenus*, altero *Ethelredus* Rex anno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo occubuerunt.

Cap. 23. Verum vt ad *Carolum* Occidentis, vt tum vocari cœpit, Imperatorem redeam; is Imperium adeptus, & extincto Longobardorum in Italia regno, confeſtim in Germaniam abit, filiumque *Pipinum* Italiæ Regem dedit. Is Venetis bellum intulit. Belli cauſa hæc erat: Diuiſo inter *Carolum* & *Nicephorum*, qui dejectæ *Ireni* in Oriente ſucceſſerant, Imperio, Sicilia aliæque inſulæ Italiæ conterminæ, cum toto illo Italiæ angulo, qui Græciam ſpectat, Imperio Conſtantinopolitano ceſſit. Solis Venetis

Belli inter Venetos & Gallos cauſa.

tis cautum eſt, *vt neutri Imperio accenſerentur*, ſed liberum illis cum vtroque commercium eſſet. Verùm quum vrbs ipſa mercaturis faciendis ſtaret, breui temporis curriculo perſpectum eſt, ciues ipſos promptioribus in Græcos, quam in Gallos animis propendere. Qua re animaduerſa, non deerant qui calumniam hanc ad *Carolum* & *Pipinum* filium deferrent. Sed crimen hoc apud patrem, conſilio & annis maturum, miſſi Legati facilè diluerunt. *Pipinus* & natura & ætate, & regia inſuper dignitate ferox, nihil eorum, quæ vel ad defenſionem, vel ad excuſationem afferebantur, admittere; nec Venetos poſthac pro *neutralibus*, ſeu communibus amicis, ſed, ni imperata facerent, pro hoſtibus habendos eſſe dicere. Claſſem indè apparat; idem & Veneti magnis animis faciunt, & è veſtigio Legatos ad *Nicephorum* auxilia petitũ mittunt. Is beneficii à Venetis olim ad Rauennam accepti memor claſſem inſtructiſſimã ſubſidio mittit. Sedes Ducalis eo tempore Metamanci erat. Quam quum *Valentinus* Dux aduerſus tam potentem hoſtem parũm in ſe firmitatis & præſidii habere cerneret, ſedem ipſam indè ad *Rialtum* tranſtulit. Quod vt ad ſummam rerum, ſummo conſilio factum erat, ita partibus exitium in præſenti attulit: ſtatim enim, quotquot in Rialtum veluti in arcem & Capitolium cum Duce confugere non poſſent, deſperata ſalute *Gallo* ſe dedunt. *Pipinus* quam facilè cæteras omnes inſulas occupauit, tã difficilẽ Rialti obſidionẽ fore videns, multa variaq; conſilia animo agitabat; ante omnia commeatu

excludere parabat. Sed tot flumina in ſtagnum illud, vbi ſita eſt vrbs, irrumpentia, victum aliaque bello neceſſaria ex omni circumjecto littore abundè ſuppeditabant. Nec claſſem *Pipinus* partiri, & ad ſingulorum fluuiorum oſtia per ſtationes diſtribuere audebat, ne Veneti, ſic diuiſas carperent, & vniuerſæ claſſi exitium afferrent. Placuit igitur per Legatos de pace agere. Cujus mentionem Veneti non libentibus modò, verumetiam auidis animis arripuerunt; vt ſi nil aliud, tempus ſaltem, quo claſſis Nicephoriana appelleret, lucrarentur. Sed quum miſſi à Venetis Legati ad *Pipinum*, de pace acturi, acceſsiſſent, ille eos, *ad pacemnè petendam, an ad vrbem dendam veniſſent*, ferox interrogabat: at illi, nos verò ad pacem, inquiunt, ô Rex, idque æquis conditionibus faciendam venimus. Qua fiducia & libertate offenſus juuenis, *bellum igitur parate*, inquit, *fortunam, quam ſors dederit, habituri*. Feruntur & abeuntes à Gallis irriſi, &, quod in mari degerent, *Piſcatores* appellari. Legati quum reuerſi non pacem ſe, ſed bellum à *Pipino* afferre pronuntiaſſent, accipere ſe omnes reſpondebant, ſtatimque per vicos ad arma diſcurrunt, veluti illa ipſa hora cum hoſte congreſſuri. Sunt qui tradunt, *Pipinum* ab Heraclia ad Rialtum pontem, trium millium ſpatio, lintribus doliiſque confertis ſtruxiſſe; pontem verò ipſum, quà vi ventorum, quà hoſtium impulſu, diffractum Gallo ſtragem dediſſe aiunt. Nec à veri ſimilitudine abhorret, *Gallum* copiis & omni apparatu bellico abundantem e juſmodi quid aduerſus

vrbem,

vrbem, in ſtagno lato magis quam alto poſitam, tentáſſe. A quo tamen incœpto maturè deſtitit, & ad pugnam naualem cum hoſte conſerendam ſe vertit; idque Veneti lætis oculis viderunt, vtpote qui ſummam & ipſi in vſu nauali ſpem & fiduciam poſitam haberent. Itaque omnes, qui per ætatem arma ferre poſſent, Ducis Imperio conuenire juſſi: deducuntur indè naues, totique claſſi præficitur *Victor* ex Heraclia vrbe oriundus; vir animi ferocia Gallo quam Italo propior, ſed vſu maris & ſcientia nauali præcipuus. Is pridiè quam confligendum eſſet vniuerſum exercitum naualem, de Ducis licentia, in Rialtum conuocauit, orationemque ad eos habuit; qua, quum cauſæ primùm ſuæ juſtitiam, hoſtium injuriam, ſuperbiam, perfidiam, & inſolentiam multis verbis ob oculos propoſuiſſet, eo tandē deſcendit, vt ex comparatione virium fiduciam ſuis faceret. Cum eo nimirum, inquit, hoſte res in mare erit, qui mare vix vnquam antè vidit. Noſtri certè ſtagni vada, canales, flexus, circuitus, & Mæandros notos non habent. Nam quod nos homines ſuperbiſſimi per ludibrium & contemptum *Piſcatores* vocant, faxo, vos modo adnitimini, vt nos noui generis piſcatores eſſe ſentiant. Harpagonas pro hamis injiciam, hiiſque vadis veluti retibus incluſos capiam, & vel viuos vinctoſque ad terram traham, vel mortuos piſcibus, & monſtris marinis deuorandos tradam. Ite, corpora curate, animos ad imperia, quod in hiis anguſtiis neceſſum eſt, ſubita accipienda intentos, & ad omnia pericula, non in

Pugna naualis inter Venetos & Gallos.

vxorum

vxorum & liberorum veſtrorum magis, quam in ipſius patriæ conſpectu ſubeunda, paratos habetote. Quæ omnia, tam excelſo elatoque ex fiducia, ſiue vera illa, ſiue ſimulata, virium amo loquutus dicitur, vt ex toto exercitu nemo eſſet, qui non certam victoriæ ſpem animo præciperet: *Duceret*, jubent; *Se ſequuturos*; *& nomen Venetum, vel vita, vel morte, ſi non inuictum, at ad poſteros memorabile & clarum facturos vouent:* Poſtero die *Pipinus* Comaclo egreſſus claſſem explicuit. Idem *Victor* ſumma cura facit, leuioraque nauigia, veluti velites in fronte locat. Hiis imperat, vt hoſtem laceſſendo, & ſubindè refugiendo, & metum ſimulando in breuia pertrahant: *Pipinus* contempta nauium paruitate, & verè piſcatores Venetos appellari, qui cymbis ad pugnam conſerendam prodirent, jactans, greſſum infert. Veneti, vt imperatum erat, vbi prima tela emiſiſſent, veluti impares, & fugam ſimulantes, retrocedunt. Tum Galli ſublato clamore fugientes inſequi, & locorum ignari, in breuia ferri. *Victor* vbi totam Gallorum claſſem vadis penitùs implicari vidit, & recedente jam æſtu, alias hærere, ſubſidere alias, aquarum penuria omnes laborare ſenſit, ſuis ſignum dat. Illi ſeruatis ordinibus, vt locorum gnari, & leuioribus vſi nauigiis, hoſtem circumſiſtunt, fundiſque & telis, & ſcorpionibus inceſſunt, miſſiliumque multitudine vniuerſos obruunt. Tum harpagonibus injectis ollas picis liquidi & calcis deſuper infundunt; quo factum eſt, vt Galli in tabulatis ſuis ſtantes, greſſum præ lubrico

Pugna naualis.

brico figere non poſsent. Itaq; à pugna in rabiē vertuntur Galli,& omnia mala piſcatoribus precantur. Infandū! hīc naues flammas correptas, ibi in latus reclinatas, illas aquis hauſtas, has ad Venetas religatas, & ad Rialtum abſtractas, & diffractas cerneres; ingens vis hominum vel ferro, vel flamma, vel aquis periit; vixque ipſe *Pipinus*, ex naui grandiore in ſcapham deſiliens, periculo ereptus Comaclum refugit. Hæc pugna nomen Venetum ad omnes gentes celebre effecit, ferocemque *Pipini* animum, ad pacem æquis conditionibus ſanciendam mouit. Superuenit pugnæ claſſis à *Nicephoro* in ſubſidiū Duce *Ceſpherano* miſſa. Veneti quum *Ceſpheranum* Sinum Adriaticum ingreſſum eſſe intellexiſſent, expeditiſsimam ſuæ claſsis partem in occurſum mittunt, veriti nè altera *Pipini* claſsis, quæ in finibus Illyrici ſtationem habuit, vim ſociæ claſsi inferret; Galli verò, quum & infœlicis ad Venetias pugnæ famam,& Venetorum inſuper claſſem *Ceſpherano* ſuppetias laturam curſum intendere accepiſſent, veriti nè in medio deprenſi opprimerentur, maturè in altum ſe proripuerunt. Veneti quum *Ceſpherano* congreſsi, gratias & Imperatori, & ipſi Duci, quod ſua ſalus vtrique curæ fuiſſet agunt. Intus tamen & in ſinu lætabantur, quod poſt pugnam tranſactam, & victoriam à ſe partam aduenisſent; ſatis perſuaſi, ſi Græci in tantillam laboris partem veniſſent, victoriæ laudem, quæ jam tota ſua erat, cum illis communicatā, non integrā ad ſe peruenturam fuiſſe *Pipinus* claſsis alterius ſubmerſæ, alterius

Venetorum aduerſus Gallos in mari victoria.

rius fugatæ ſenſu percitus, vrbes à ſe priùs captas, ſed hactenùs ſeruatas, diruit, Albiolam, Paleſtrinum, Foſſam Clodiam, Brundulum, Metamancum, Forſitan & Heraclia, &, quam Ieſulam nunc vocant, Equilium, non ſuo olim, ſed communi hoc Venetarum vrbiũ incendio, deflagrarunt; idque dubio ſepoſito verum eſt, ſi, quod plerique ſcriptores volunt, ſemel tantùm *Pipinus* Venetis bellum intulit. Incidit autem hoc prælium, & ex eo pax, in annum conditæ Venetiarum vrbis trecenteſimum quinquageſimũ, anno verò Salutis noſtræ octingenteſimum circitèr & quintum. *Nicephoro* enim adhuc ſuperſtite, quod omnes fatentur, pugnatum eſt; *Carolus* autem ſub finem anni octingenteſimi Imperator declaratur: anno verò ſequente, dejecta *Irene*; *Nicephorus* Orientis Imperium accepit, in quo vltra quadriennium non durauit, ſed in prælio contra Bulgaros commiſſo cecidit. Ex quo fit, vt infra annum quintum ſupra octingenteſimum, pugnam hanc commiſſam eſſe neceſſe ſit. Certum enim annum, nedum diem, huic pugnæ adjectum non inuenio. Veneti tantis ſucceſsibus elati ſedem Ducalem in Rialto inſula publico decreto ſtatuunt, palatiumque Duci, Regum ædificiis vel materia, vel opere par ſtruendum curant. Sexaginta verò Inſulæ, quæ Rialtum vt ancillæ dominam circumſtant, tum primùm pontibus, vt nunc viſuntur, jungi cœptæ. Hæ ſimul ſumptæ ampliſſimam vrbem, quam propriè Venetias vocant, faciunt.

Venetiarũ vrbs.

Cap. 24. Sub hoc ipſum tempus prælijs naualibus toto orbe

orbe pugnatũ eſt. *Gothofredus*, Danorũ Rex, cũ ingenti claſſe in Friſiã venit. Aduerſus quem mouit *Carolus Magnus*; ſed priuſquã in conſpectũ venit, *Gothofredũ* à ſuis interemptũ, & Danos, relicta Friſia, ad ſuos rediiſſe allatũ eſt. Saraceni verò, arrepta ex diuiſione Imperii occaſione, omnes Chriſtianorum terras variis incurſibus infeſtarunt. Nihil ego hoc loco de *Aarone*; qui cum tercentum millibus hominũ in Aſiam irrupit, & ipſum *Nicephorum* ad iniquiſſimas, quod antè diximus, pacis conditiones egit referã. Pudeat modo *Blondum*, alioſq; Hiſtoricos Latinos omnes, afflicti hoc tempore orbis Chriſtiani cauſam in *Nicephorum* rejicere; niſi fortè Fimbrianam ei litem mouere libet, *quod totum telum corpore non recepiſſet*, nec Dalmatia, Calabriaque, & Sicilia, poſt reliquam Italiam, vltrò priuari ſe ſuſtinuerit. Miſit itaque *Nicephorus* claſſem; quæ, *mare inforum* ingreſſa, Populonium, vrbem in eo littore poſitam, vi cepit; nec vltrà in jurias ſuas perſequi, propter perpetuos Saracenorum in omnes Archipelagi inſulas incurſus, licuit. *Pipinus* verò, omiſſis Venetis, Mauros, hoc eſt, Saracenos ex Africa venientes, miſſa claſſe, è Corſica, quam tenebant, depulit. *Ademarum* Genuæ Comitem ad id bellum miſſum aiunt, qui ferocitèr; magis quàm prudentèr & cautè in hoſtem pugnans cecidit. Neq; tamen, vt fere fit, ad Ducis caſum, perculſa magis quàm irritata eſt multitudo omnis. Itaque non priùs incœpto deſtiterunt, quàm Saracenos ex inſula penitùs dejeciſſent: paulò pòſt, & alia Saracenorum ex

Hiſpania

Hiſpania claſſis Corſicam & Sardiniam eodem tempore aggreſſa vtramque vi cepit: contra hos miſſus à *Carolo Pipini* patre *Buccaredus* Comes, prælio nauali cum hoſte circa Sardiniã fœlici euentu conflixit: in hac pugna quinque Saracenorum millia amiſſa; iterùm ad Corſicam pugnatum, & Saracenos magna parte claſſe exutos ferunt; veruntamen quum omnem à Marſylia ferè per Hiſpaniæ, Africæ, Ægypti, Syriæ & Aſiæ circuitum & Helleſpontum vſque, oram Imperio tenerent, nec mare ipſum, nec vrbes ad mare poſitas, à latrociniis momento temporis quieſcere paſſi ſunt, noſque in ſequentibus quæ memoria digna videbuntur breuitèr traditurí ſumus. *Nicephoro* verò Imperatori in prælio aduerſus Bulgaros cæſo, dejecto ejus filio *Stauracio*, ſucceſſit *Michael Curopalatus*; is fœdus cum *Carolo* à *Nicephoro* de finibus Imperii percuſſum renouauit. Sed in eo Venetis expreſsè cautum eſt, *vt in Imperii Orientalis partibus cenſerentur*, quo factum eſt vt nunquam deindè Occidentalis Imperii jura Veneti recognoſcerent. *Curopalato* defuncto ſucceſſor datus eſt *Leo Armenius*; quo ſublato Imperiũ inuaſit *Michael* cognomento *Balbus*, anno à *Caroli* inauguratione decimo ſecundo, quo tempore Saraceni, qui Africam tenebant, in aduerſam Siciliã, vt olim Pœni ſemper facere conſueuerint, trajecerunt. Et primùm littoralia omnia vaſtant, prædaſque agunt, villiſque & agris flammas inferunt; mox ipſum *Panormum* occupant. Quam ſedem belli quum conſtituiſſent, indè omnem Siciliam diris populationibus

tionibus infeſtam reddunt. Siculi tanto miſeriarum cumulo oppreſſi, gentes omnes Chriſtianas legationibus ad opem ferendum fatigant:

Erat eo tempore quidã nomine *Bonifacius*, Corſicæ Comes, à *Carolo Magno*, poſt Saracenos vltimò indè expulſos, conſtitutus. Is, Siculorum miſertus, quũ, quam petebant, opem ferre non poſſet, aliud animo agitare cœpit, &, repetito vetere illo *Agathoclis* tyranni Siculi exemplo, cum *Bertario* fratre, aliiſque magni nominis Ducibus claſſem contrahit, & in ipſam Africam tranſmittit; fore ratus, vt populationibus & incendiis fatigati demùm Mauri, copias ſuas è Sicilia ad ſua tuenda reuocarent. In Africam quum veniſſet, expoſitis militibus, Vticæ primùm, deindè & Carthaginis juxta ſtantis muros inuaſit, vrbeſque incendit. Concurſu igitur ex omni Africa ad hoc incendium reſtinguendum facto, *Bonifacius* magno animo, nec minore ſucceſſu cum hoſte terreſtri prælio congreſſus, eos impetu ferociſſimo vicit, fugauitque: quumque Saraceni bellum à terra in mare tranſtuliſſent, & quater totis viribus inter Vticam & Carthaginem conflixiſſent, *Bonifacius* ex ſingulis prælijs egregiam victoriam retulit; tantam verò ſtragem terra marique dedit, vt Saracenorum Armirathes copias ex Sicilia, ad Carthaginis & Africæ tutelam, properè reuocaret. Ita tota Sicilia deceſsum, & Panormus vrbs Siculis reſtauranda traditur. *Bonifacius* verò, quum, quod quærebat, Siciliam Saracenis vacuam, priſtinis Dominis reſtitutam eſſe comperiſſet, ſucceſsu lætus, exercitum Cap. 25. *Bonifacius.*

tum cum præda nauibus impositum in Corsicam reduxit, ingentemque indè laudem apud omnes gentes parauit; verè vt eum nomini suo respondisse, & ex rectè factis *Bonifacii* nomen indeptum fuisse dicerent. Nec diu Saraceni in Africa quieuere; Anno enim sequente *Sabbam* Ducem cum numerosissima rursum classe ad Siciliam repetendam mittunt. Quare percepta, *Michael*, cognomento *Balbus*, classem sub *Theodoro* Præfecto (alii *Theodosium* vocant) ad Saracenorum conatibus obsistendum misit. *Theodorus* quum Saracenos numero longè præstare cerneret, viribus suis diffisus Venetias se confert: Dux illo tempore *Trudonicus* erat. Hunc rogat, obsecrat, & obtestatur, vt pro vetere inter Dominũ suũ,& vrbẽ illam amicitia, se classe aduersus Saracenos adjutum velit. Veneti sexaginta triremes, sine mora è naualibus eductas, armis, milite, commeatu, affatim instructas præbent. Quibus fretus *Theodorus*, quum jam eum viriũ suarũ non pœniteret, Siciliam petit; ex itinere in sinũ Tarentinum quâ quâ de causis diuertit. Quo cognito *Sabbas* Crotoniatum littus legit. Quumque in vicino classes starent, eos ad certamen, neutra partium id quærente, casus, qui consiliis sæpè plus potest, traxit. In quo Christianorum classis grauiter afflicta est: Venetorum ad vnam omnes fortissimè præliantes vel mersæ, vel captæ sunt. *Theodorus* tota classe, quam Constantinopoli aduexerat, amissa, vix fuga salutem quæsiuit. *Sabbas* hac victoria elatus, quum nullum ampliùs in mare hostem, quem timeret, superesse

Bonifacius

Sabbas Saracenorum Dux.

Trudonicus Venetiarũ Dux.

Venetorum clades.

ſupereſſe conſideret, Dalmatiam oram in oppoſito littore ſitam appulit. Auſtenſe oppidum vi captum diripit: naues Venetas complures è Syria redeuntes, & mercibus onuſtas in ipſo maris ſui oſtio intercipit, homines verò ad vnum omnes in illis repertos (memor qua pertinacia gens illa in ſinu Tarentino modò pugnauerat) jugulari mandat. Indè Anconam vrbem in littore Italico ſitam capit, diripit, incendit. Interim Venetiis trepidatum, timore incuſſo, ne Sabdas vrbem nauium præſidio nudatam eodem impetu adoriretur. Sabdas verò rebus omnibus incredibili ſucceſſu & celeritate confectis, omiſſa ad quam expugnandam venerat Sicilia, nec Venetiarum vada tentare auſus, in Africam gloria opibuſque plenus redit. Quibus rebus incenſi ſtatim aliorum ejuſdem terræ Saracenorum animi, cum ingenti hominum multitudine Siciliam inuadunt. Id verò non temerè, nec latrocinantium more, ſed à Duce ſuo cum juſto exercitu eo profecto, & ad ipſam inſulam Imperio Saracenico adjungendam miſſo tentatum, & graui Chriſtianorum flagitio primùm, mox damno geſtum eſt. Rei verò geſtæ modus à me nunc paucis referetur. *Michael*, quē dixi, Imperator quendā nomine *Euphemium* legatū in Siciliā ad Saracenorū impetus coercendos miſerat; idq; *Euphemius* non inſtrenuè, quo tempore *Bonifacius* Africam bello petebat, fecerat. Saracenis verò in Africam, metu *Bonifacij* reuocatis, cepit *Euphemius* flagitiis nequitèr indulgere. Quumque libidini effuſiùs dederetur, ſpretis

Sicilia à Saracenis per quam cauſam occupata.

aliis in virgine ſacrata oculos defixit, ſacrarioque extracta ad libidinem explendam abutebatur. Habuit ea virgo duos fratres, bonæ inprimis indolis, & vindictæ, ſi poſſent, jure, ſi non poſſent, manu armata ſumendæ auidos. Placuit igitur jure prius experiri. Itaque querelam ad loci Magiſtratum deferunt. Magiſtratus factum damnare, ſed nihil in ſe opis, aduerſus Legatum legionibus ſuccinctum eſſe, dicere. Ab eo igitur rejecti ad Imperatorem querebundi vadunt. Id primùm *Euphemio*, quandoquidem ipſum Imperatorem idem non ita pridem factitaſſe, & virgini Deo ſacræ pudicitiam per vim rapuiſſe neminem latebat, ridiculum videri; nec aduertit imprudens, multa reges ipſos peccare ſolitos, quorũ nihil priuatis impunitũ eſſe volunt. Quũ verò litteris à Conſtantinopoli ad ſe datis, Imperatorẽ duorũ fratrũ querelã non auribus modo, verumetiã animo admiſiſſe, accepiſſet, ne illud quidem magni faciendũ exiſtimabat. Quum verò alteris litteris, aliis ſuper aliis miſſis, eum de vindicta ſumenda rationem ſerio iniiſſe, & loci Exarcho, vt ſontem in vincula conjiceret, mox naribus præciſis, tota vrbe ſpectandum traduceret, traductumque morti traderet, manifeſſe intellexiſſet, deſperata venia, nec ſalutem niſi ab extremo remedio petendam ratus, audax & impium facinus aggreditur. Militum animos, quà licentia, quà beneficiis ſibi antè deuinxerat. Hos nunc ad concionem vocat: cædem & priuatim ſuam, & communitèr omnium, Exarcho ab Imperatore, prolatis, quas ipſe confinxerat,

rat, tabellis, mandatam eſſe docet. Hortatur vt rem ideò juſtam quia neceſſariam fortibus animis aggrediantur; vt Exarchũ primùm ſupplicii miniſtrum, deindè & ipſum Imperatorem è medio tollant; ſibi & illis ſic facto eſſe opus. Milites, facto ab illis qui ad hoc antè edocti & inſtructi fuerant initio, vna voce conſilium laudant; Exarchum furibundi ad necem quærunt, ipſum verò *Euphemium* Imperatorem vocant. Idem non Syracuſæ modo, verumetiam reliquæ ferè omnes Siciliæ ciuitates faciunt. Quæ res quum ad *Balbum* relatæ eſſent, confeſtim ille de exercitu in Siciliam mittendo agit; copiaſque ſumma diligentia contrahit. *Euphemius* quum ſe tantis viribus parem non fore animo proſpiceret, alliunde auxilium quærendum cenſuit. Legatos igitur ad *Abrahamum Halbi*, Saracenorum in Africa Armirathûm vnum, ad ſubſidia hac lege petenda miſit; vt ipſe Græcorum Imperator, *Abrahamus* verò totius Siciliæ Rex eſſet. *Abrahamus* legatum laudat, ſeque in tempore affuturum ſpondet. Et confeſtim claſſem quadraginta armatorum millibus inſtructam *Halcamo* Saraceno, viro ſtrenuo, impigro & multis egregiiſq; aduerſus Chriſtianos facinoribus inſigni Duci, ad Siciliam occupandam mittit. Is Suſâ maritimo regni Tunetenſis oppido ſoluens, tertio die ad Siciliã applicuit, militeque in terram, nemine impediente, per ôtium expoſito, claſſi ipſe ſuæ incendium immiſit. Qua veluti teſſera intellectum eſt, non prædam jam ex ea terra, ſed ipſam terram pro præda peti. Venientem *Euphemius* benigne

accepit; iſque viciſſim *Euphemium* Imperatorem ſalutat: junctis viribus Selinuntem primò, mox reliquas inſulæ ciuitates multas vi, deditione pleraſque capiunt. *Halcamus* Selinuntios vi captos, viuos in ahenum conjectos coxit. Quod tam efferum tamque inauditum ſupplicii genus, Siculorum animos ſic fregit, vt paucæ admodùm reſtarent vrbes, quæ ſe vel vltrò, vel primo hoſtium aduentu non dederent. Omni igitur Sicilia, præter Syracuſas & Tauromenium, in Saracenorũ poteſtatem redacta, *Euphemius* id modò reſtare ratus, vt priùs quàm Conſtantinopolim contenderet, Imperator à Syracuſarum etiam vrbe appellaretur, eò cum paucis venit; ibi inermis ipſe ſine copiis, ſine ſatellitio ciuium oculis obverſatur. Vtque Imperator declaretur, non pro poteſtate, ſed precibus, & argumentis à Saracenorum potentia petitis, agit. Quod quum iuuenes duo, virginis quam dixi ſtupratæ fratres, conſpexiſſent, contracto parium ſuorum, & vel ſanguine, vel aliis neceſſitudinibus junctorũ globo, hominẽ facto impetu medio foro obtruncant, reciſumq; caput *Michaeli* mittunt. Interim Saraceni Siciliã vt ſuam poſſident, eamq; totos ducentos & triginta inde annos, cum ingenti Italiæ Græciæq; incommodo, tenuerunt. Quam rem diſertiùs ideò perſcribendam cenſui, quod & occupatæ à Saracenis Siciliæ materia per ſe grauis eſt, & *Tho. Fazelus* rerum Sicularum ſcriptor non indiligens, quem hac in parte ſequutus ſum, ſe primùm veterem receptumque Siculæ gentis errorem ex *Johanne Curopalato*, Græco illorum temporum

Halcami Saraceni ſeuitia.

Euphemius caſus.

Sicilia per ducentos & amplius annos à Saracenis inſeſſa.

emporum autore, ſed qui paucorum manibus volueretur,correxiſſe gloriatur. Siculorum enim animis ea penitùs inſederat opinio, Saracenos,quum hoc tempore Siciliam inuaſiſſent, à *Georgio* quodam *Maniace*, (viro ſuo tempore forti, & bellatore ſtrenuo) ſtatim ejectos Africam repetiſſe. Atqui *Maniaces* iſte res quidem præclaras aduerſus Saracenos in Sicilia, ſed diuerſâ planè ab hiis temporibus ætate, & regnante demùm *Conſtantino Monomacho*, ſub annũ Chriſti milleſimum octuageſimum geſſit. Nam ad *Michaelem Balbum* quod attinet, ægrè ille Syracuſas & Taurominium aduerſus Saracenos in Sicilia hac tempeſtate tueri valuit. *Georgius Maniaces.*

Sub hoc tempus *Pipinus Caroli* Imperatoris filius moritur; *In* cujus locũ *Carolus* ſuũ ex *Pipino* nepotẽ *Bernardũ* Italis Regẽ dedit,& Saraceni ex Africa Corſicã inſulã perpetuis incurſibus inuaſerunt. Et vir fortis nomine *Ermingarius*, majorẽ ex Balearibus inſulã, quã *Majoricam* nunc dicimus, pro *Bernardo*, valido præſidio tenebat. Hic Saracenos in mari adortus, magna vi pepulit,& quingentos Chriſtiani nominis homines recepit.Saraceni pulſi ab *Ermingario*, Italiam petunt. Centumcellas, vrbem in Hetruriæ littore poſitã,vi capiunt. Narbonenſem indè oram in Gallia populati, Sardiniam repetunt. Ibi tum fortè idem *Ermingarius* erat; qui contracta inſulanorum manu, Saracenos licentiùs graſſantes ſubitò ad naues compulit: dumque naues tumultuoſiùs conſcendunt, *Ermingarius* eos ad laſſitudinem vſque contrucidauit. Saraceni, magna parte & claſſis & Cap. 26. *Ermingarius.*

exercitus amiſſi, trepidi in Africam redierunt; nec viuente *Ermingario* quicquam vltrà à Saracenis in mari Tyrrheno motum. In Oriente verò *Balbus* variis rerum procellis agitatur: *Thomas* quidam, factione militū ſuffultus, purpuram induit, & Imperatoris copias variis prælijs concidit, ipſumque tandem Conſtantinopoli incluſum terra marique oppugnabat. *Balbus* verò maritimis copiis fretus, *Thomæ* claſſem ſemel iterumque grauiter afflixit, & demùm vniuerſam igne Græco immiſſo penitùs deleuit, rebellemque cepit & occidit. Jamque *Carolus* ille *Magnus* Aquiſgrani in fata conceſſerat, & *Ludouicus* filius in Imperio ſucceſſerat. Senſit autem Chriſtianus terrarum orbis quantum vindicem amiſiſſet, ſenſerunt & Saraceni. Itaque *Haidoni* Aquitaniæ Præfecto, *Ludouici* ignauiam pertæſo, & aduerſùs Imperatorem auxilia flagitanti, ſubſidia cupidè miſerunt. Hiſpaniarum Armirathes illo tempore erat *Abdecamanus*: Is *Abumaurem* conſanguineum ſuum cum validiſſima claſſe miſit. Saraceni per Oceanum inuecti, & cum *Haidone* junɛti, totam Barchinonenſem regionem, & quicquid ad Garumnæ ripam ſitum eſt agri, Burdegalam vſque & Toloſani, depopulati, ingentem inde prædam abegerunt. Parte verò alia, Italiæ ferociùs incubuerunt. Genuam primò, deindè Centumcellas vi capiunt; Indè citato agmine Romam petunt. *Fazelus* vrbe potitos ait: id *Sabellicus* falſum eſſe confirmat. Vaticanum tamen nullis tum munitionibus circumſeptum, aut operibus firmatum diripuiſſe non negat,

Thomas cum claſſe à Balbo cæſus

Ludouicus Caroli Magni filius.

Italia à Saracenis direpta.

negat. Barionæ templum, toto orbe auguſtiſſimum, ferro & igne deformarunt; proxima tecta diruunt, & ſuburbana omnia fœdum in modum depopulantur. Vrbem ipſam oppugnare in animo habebant barbari: ſed cum ex Gallia Ciſpalpina ſuppetias aduentare accepiſſent, eo incœpto deſtiterunt: ſoluta verò obſidione, inter Appiam & Latinam vias omnia loca ſacra juxta & profana rapina, ſanguine, incendio fœdarunt. *Pauli* baſilicam, Hoſtienſi via, ſecundo ab vrbe lapide poſitam, opibus & ornamentis, quibus maximè abundabat, ſpoliant; ignem deinde ipſi fabricæ injiciunt. Longum eſſet ſingula commemorare: ſed Liri denique flumine, qui nunc Garilianus dicitur, ad dextram relicto, præda onuſti mare repetunt, & claſſe recepti in Africam vnde venerant victores abierunt. Vnde è veſtigio reuerſi, Syracuſas & Taurominium, Siciliæ vrbes, quas ſolas in fide Imperatoris manſiſſe diximus, obſidione claudunt: illæ *Paſchalem* Pontificem, *Paſchalis*, *Ludouicum* Gallum, vt miſeris ſubueniret, legationibus fatigat. *Ludouicus* Siciliam non ad ſe, ſed ad *Michaelem*, Imperatorem Græcum, pertinere reſpondet; dignam ſcilicet mercedem, quam tranſlati nuper à Græcis ad Francos Imperii, Romani reciperent. Incidit autem illa Romanæ ditionis vaſtatio, in annum Salutis noſtræ octingenteſimum triceſimum tertium, vt author eſt *Sabellicus*. Nec res Venetæ interim quieuere; inuaſerat olim, viuente adhuc *Carolo Magno*, Ducatum quidam nomine *Obelerius*: is metu partium in Galliam

Syracuſæ à Saracenis tentatæ.

Obelerius.

transfugerat. Mortuo deinde *Carolo*, quum nullam in *Ludouico* spem haberet, res domi nouandas censuit; itaque Carictam insulam, quæ postea *Veglia* dicta est, occupat. *Johannes Partitiacus*, *Justiniani* defuncti filius, Dux Venetus eò cum classe accurrit. Classis magna pars Metamaucenses erant. Hii vt mos est populari suo (erat enim ex Metamauco oriundus) fauentes, ad *Obelerium* transeunt. *Partitiacus* subita Metamaucensium defectione commotus, missam Vegliæ obsidionem in præsenti facit, & Venetias reuersus, nouas copias, & ab *Obelerii* factione integras, conscribit. Cum hiis cæsus profectus Metamaucũ oppugnat, expugnatamque iu transfugarũ odiũ & inuidiam diruit & incendit. Inde ad Vegliam obsidendam redit; & quotquot Metamaucensium in potestatem venerunt, cum ipso *Obelerio*, vltimo supplicio affecit. Hoc tempore Veneti res suas domi firmabant; tanta enim erat Saracenorum in mari potentia, vt Veneti illis occurrere non auderent; & ex vulnere in pugna Sicula non ita pridem accepta, tardiores ad bella foris gerenda incedebant. Veronensibus tamen, aduersus lacus Benaci incolas, translatis in ipsum lacum nauigiis auxilia præbuerunt. Neuè senesceret per otium nauale Venetorum studium, à Narentanis, maris superi accolis, piraticis incursionibus subinde sollicitantur. Narentani, aduersis Venetorum casibus elati, ex Dalmatia, Caprulas vsque, ad Limenis fluminis ostium positas, prædabundi processere. *Trudonico* ab aduersa factione cæso, suffectus in Venetiarum

Obelerius rebellis supplicio affectus.

rum Ducatu est *Vrsus Participacus*, inuitus quidem: sed quam nolentèr Ducatum recepit, tam strenuè eũ fœlicitérq;, & prudentèr gessit. Primoq; statim ingressu pacẽ cum Narentanis, siue piratis, siue justis hostibus (nec puduit obsides in eam rem dare) fecit. Viginti pòst annis, quam *Sabbas* memorabilem illam de Græcis & Venetis in sinu Tarentino victoriam parauerat, alia Saracenorum ex Ægypto classis, Cretam insulam inuasit; quumque eam penitùs possedissent, cum classe profecti, & sinum Adriaticum ingressi, Dalmatiam petunt; oram omnem maritimam populantur, & ipsam *Gradum* in Venetiarum conspectu positam adoriri parant. *Vrsus* properè classem, quam magna cura multò antè parauerat, educit; secumque filium *Johannem*, egregiæ indolis adolescentem ducens, cum hoste manum conserturus proficiscitur. Hic alii pugnatum, alii sine pugna Saracenum trepidè aufugisse ferunt. *Bonitendius*, quem *Sabellicus* antiquorũ omniũ diligentissimum rerum Venetarum Scriptorem laudat, *Vrsum* & ad Gradum hostes in fugam vertisse, & fugatos persequutum rursum in sinu Tarentino ad pugnam traxisse, & egregiè vicisse, & labem aduersa olim contra Saracenos pugna contractam ipso loco eluisse memorat. Quibus in præliis tanta vel patris, vel filii, vel vtriusque virtus enituit, vt Veneti, nec rogati, vno ore, filium patri in Ducatu collegam darent. Nec Narentani, gens latrociniis assueta, diù ab incursibus maritimis quieuere, sed Histros, Venetorum socios, terra marique aggrediuntur.

Saracenorũ incursus.

Saraceni à Venetis fugati.

Narentani.

diuntur. Hiſtri ab *Vrſo* ſubſidia contra hoſtem communem petunt. *Vrſus* triginta protinus triremes è naualibus eductas, aduerſus Narentanos ducit, conſertoque prælio egregiè vicit. Græcorum Imperator hoc tempore *Baſilius* erat: Is res ab *Vrſo* aduerſus Saracenos, geſtas tam pio gratoque animo accepit, vt eum Imperii *Protoſpatharium* (quæ ſumma poſt Imperatorem dignitas habebatur) crearet; raro vt vllus Venetiarum ad illum diem Dux cum *Vrſo Particiaco*, vel virtute, vel fœlicitate comparandus repertus fuerit. Ducatū hic decē & ſeptem annos tenuit, & decedens *Johannem* filium in Ducatu ſuperſtitem reliquit. Is Comaclum ex aduerſo non procùl Rauenna poſitam vrbem, ſi pax eſſet, oportunam, ſin bellum, infeſtam, Reip. Venetæ adjungere votis omnibus exoptabat. Quoque honeſtiorem rei conſequendæ titulum haberet, fratrem ſuum *Badoarium* ad Pontificem Romanū, *author vt fieret*, rogatum miſit. Comaclum, rei Venetæ nempè partem olim fuiſſe: vt quid nunc diuerſo jure cenſeretur? *Zacharium* Pontificem, *Pipino*, regnum Gallorum, detenſo Domino, ad ſe trahendi autorem factum; quid ni & Sanctitas ſua in Comaclo Reip. Venetæ adjungendo author fieret? Erat tum *Comacli* Comes quidam nomine *Marinus*. Is *Badoarium*, dum per agrum Rauennatenſem tranſit, aggreſſus capit, & inter capiendum lethalitèr vulnerauit. Viuum tamen Venetias remiſit, pactum priùs ne de re Comaclina legationem vltrà obiret. *Badoarius* Venetias reuerſus ex vulnere moritur.

Comaclum Venetis adjunctum.

Cujus

Cujus necem *Johannes* vlciſci volens, validam ſtatim claſſem parat, Comaclumque à mari inuadit, & capit, & in eos, qui fraternæ cædis conſcii fuerant, vt fratrem decebat, ſæuiit. Vbi deinde validum præſidium imponit, & cum reliquo exercitu progreſsus, Rauennatium, quos eadem cæde reſperſos compererat, agros, cum hominum pecudumque ſtrage dirum in modum depopulatur: inde Venetias voti compos redit: quumque paulò pòſt in aduerſam valetudinem incidiſſet, conſenſu populi, fratrem ſuum *Petrum* ſucceſsorem nominauit. Sed quum ipſe præter ſpem conualuiſſet, ne fruſtrà ſucceſsor datus videretur, *Petrum* populus *Johanni* collegam dedit: *Petro* verò infra paucos dies mortuo, fratrem alterum *Petro* natu majorem, nomine *Vrſum*, in Ducatus ſocietatem cooptauit: *Vrſus* verò oneris pertæſus, non ita multò pòſt, Ducatu ſe abdicauit. Cujus exemplum ſequutus *Johannes*, facta populo poteſtate, nouum quem vellet Ducem creandi, ipſe etiam Ducatu abiit. Populus *Petrum Candianum* ei ſurrogauit: Ducatus inſignia *Johannes Candiano*, populo ſpectante, tradidit; quo facto in priuatas ædes ſeceſſit. *Candianus* Narentanos in mare graſsantes cum duodecim trirembis adortus, ad pugnam ineundam cogit, in qua ſuperior aliquandiù fuit. Sed quū pugna in ipſa Liburniæ ora ad Miculum promontorium committeretur, atque inter pugnandum nouæ ſemper Narentanis ſuperuenirent copiæ, *Candianus* mole magis & multitudine, quam virtute hoſtium oppreſsus, cecidit:

Candianus Dux Venetus à Narentanis prælio nauali cæſus.

quo

quo caſu perculſa ciuitas, *Johannem*, qui Ducatu abierat, inſtanter rogant, vt Reipub. tam ſæua tempeſtate afflictæ gubernaculo manum tantiſper admouere vellet, dum de nouo & idoneo Duce ſubſtituendo ratio iniri poſſet. Poſt aliquot igitur dies, *Petrum* cognomento *Tribunum* Ducem creant, rurſuſque *Johannes* magiſtratu ſe abdicauit; glorioſius ratus, ſummo magiſtratu ſemper dignum cenſeri, quam perpetuo frui. Narentani ſucceſſu elati vrbem ipſam perpetuis incurſionibus fatigant; ipſis tectis ferrum, flammam, exitium denique inferre parati. *Tribunus*, quà vrbs periculo maritimo maximè expoſita videbatur, murum duxit. A muri verò angulo, qui *S. Georgii* fanum ſpectat, catenam tranſuerſam, ad ſubitos hoſtium impetus frangendos, tendit. Rarò vlla ciuitas tot difficultatibus eodem tempore laborauit. Hinc Narentani piratæ, inde Saraceni cum Ægypto, alii Africa profecti, alii ſuis quique claſſibus & exercitibus terribiles inſtabant.

Venetiarũ ſtatus.

Cap. 27. Sed hiis omnibus potentior Hunnus, nouo milite, vetere fama ſubnixus, terrorem injecit. Enimuerò, perinde ac ſi *Attilas* à mortuis reuixiſſet, gens Hunnica *Auarica* permixta, & vno ex duobus confuſo nomine Hungari tũ primũ appellati, finibus ſuis egreſſi, alii Germaniam omnem ad Oceanũ vſq; hoc tempore vaſtabant, alii Danubio ad dextram relicto trita à majoribus ſuis via per vallem Telinam in Italiam deſcendunt. *Berengarius* hoc tempore Imperiũ in Italia tenuit. *Caroli* enim *Magni* domus nepotũ diſcordia

diſcordia Imperii titulum amiſerat. Is prauo vſus conſilio, cum quindecim millibus hominum, Hungaris, ſupra Carnorum fines venientibus, in acie occurrit: ſed fuſus fugatuſque hoſti animos auxit, Italos verò omine (quod ex primo congreſſu ferè capi ſolet) non minus quam clade terruit. Auxit inſuper formidinem, quod cæſorum cadaueribus hoſtes veſci dicerentur. Jamque Mediolanum petituri erant, quum ciuitatis Venetæ & diuitiarum ejus fama barbaros ad eam oppugnandã traxit. Lembos igitur ex virgultis confeſtim texunt, eos coriis inducunt. Quibus freti ſparſas per ſtagnum inſulas minores primo impetu expugnant; *Heraclium* (quæ poſt *Pipini* tempora magnificentiùs reſtaurata *Ciuitas noua* vocari cœpit) vi capiunt. Inde Jeſulam, Clodiam, Caput aggeris, inuadunt, quo latior & liberior ad Rialtum oppugnandum via fieret. *Tribunus* (hic is eſt, quem vulgò *Tronum* vocant) quanto in periculo res Veneta verſaretur videns, claſſem magna cum cura parat; eam ſociis naualibus militibuſque ſeueriſſimo delectu inſtruit. Hunnus, præter ingentem lintrium ſcediarumque, quas ex vicinis ſyluis temerè confectas in mare deduxerat multitudinem, magnũ inſuper nauigiorum, ex inſulis quas ceperat, numerum comparauerat; tanta autem fuit vtriuſq; generis vis, vt, præ nauiũ multitudine, ſtagnũ ſuum Veneti ex Rialto magno ſpatio vix videre poſſent; Hunnus vada metuens, more minimè barbaro leuibus primùm præliis hoſtem tentauit, vt ſui, parta primùm locorum notitia, majore fiducia

Hunni Venetos inuadunt.

Tribunus.

fiducia hoſtem adorirentur. Idq; quū aliquot dies feciſſet, tandem cum vniuerſis copiis in aciem deſcendit. *Tribunus*, pridie quam pugna futura erat, Nauarchis cum magiſtris, & primæ notæ militibus ad ſe in Rialtum vocatis, orationem habet rei & tempori conuenientem; Qua virtute majores ſui illo ipſo in loco *Pipinum* Regem eadem, quæ nunc Hunnus, temerè tentantem ſemel iterumque fregerant, in mentem reuocat. Ea omnia, quæ pro Venetis tum ſtabant, nunc etiam ſtare; nauium genus, rei naualis vſum, locorum peritiam; quæ verò Gallis illo in prælio contraria erant, ea Hunnis vel tantundem, vel majorem in modum nunc aduerſari. Gallū claſſem ſat firmam habuiſſe, hos lintres vimineos pleroſque, & corio inductos, ipſa leuitate ad conſiſtendum, quanto magis ad pugnandū inſtabiles habere; vi & labore & concurſū ad illa perrumpenda fuiſſe opus; lintres iſtos, digito ſi tetigeris, ſubuerti. Nam ad vadorum notitiam quod attinet, ſatis hos ignorantiam ſuam, leuibus prælijs experiundo, & veluti in tenebris palpando, prodere. Animis modo iiſdem nunc opus eſſe, quibus majores ſuos vſos eſſe accepiſſent; quanquam de gloria cum Gallis & libertate certatum, cum hiis de vita & ſanguine dimicandum eſſe. Itaque ad pugnam forti animo, vbi illuxerit, ineundam ſe pararent, ſuumque Ducem intuerentur: fugiat, inquit, quicunque me cedentem videt: ſubeat vos eadem, quæ me jamdudum ſubiit, cogitatio; hocque apud ſe quiſque ſtatuat, *niſi victoribus ex pugna*

non

non esse redeundum. Inde quisque digressus, se ad vltimum discrimen parat. Si Deus Venetias tam fœlicibus auspiciis conditas, tantisq; rebus hactenùs gestis prouectas diutiùs stare nolit, se tamen fœlices, ante patriæ casum occubituros. Sin sua morte victoriam vrbi Venetæ pepererint, quanto glorioſiùs debitum patriæ per virtutem, quam naturæ per ignauiam spiritum reddituros: victoriam tamen omnes non precari modò, verumetiam sperare, & certa fiducia præconcipere; nunquam Deum tam infensum sibi rati, vt quos Gallorum furore liberauerat, eos rabiei Hunnicæ perdendos reseruaret. Hunnus, vt constituerat, prima aurora classem, in quam longè majorem exercitus sui partem constipauerat, educit, spatiumq; omne inter Albiolam & vrbem multitudine suorum implet. *Tribunus* Ducalibus insigniis conspicuus prætoriam conscendit, se tamen intra vada tenet, pugnamque leuibus velitationibus tantisper trahit, donec, æstu recedente, vada breuiora fierent. Tum, signo dato, in confertissimas hostium naues infertur. Prima cura fuit, vt firmiora hostium nauigia vel auerteret, vel opprimeret; idque igne injecto maxima parte faciebat. Tela simul omnis generis grandine densiora volabant; quibus territi hostes, locoque moti, in vada præcipites incidebant. Quo conspecto, clamor ingens non à classe modò, verumetiam à Rialto, quam mœstum hactenus ex metu silentium occupauerat, exoritur. *Tribunus*, de victoria jam securus, ad stragem vertitur; quáque vada patiebantur, in lintres

Pugna naualis Venetorum contra Hunnos.

cum

cum tota classe incurrit. Hos primo statim non impulsu sed contactu euertit, multaque simul hominum millia in mare effudit. Quod si in quas transuersus incideret, eas totas cum milite vno impetu depressit; vix vt vlla memorabilior, vel victoria, vel pugna in mare contigerit. De cæsorum numero nihil proditum inuenio; insignem fuisse ex eo constat, quod Hunni ea clade affecti, retrò trepidè abierunt. Interim magna erat *Tribuni*, & gentis Venetæ, non in Italia modò, verumetiam apud omnes populos gloria, *Tribunum* Hunnum hostem, cui cessit *Berengarius*, sustinuisse; & à quo victus hic sit, illum profligasse memorabant. Venetos autem vallum & propugnaculum Italiæ (nec immeritò) appellabant. Pugnam verò hanc, cum *Victoris* sui nuper contra Gallos, cum *Martelli* aduersus Saracenos, cum *Ætii* olim aduersus eosdem Hunnos, consertam omni genere vel laudis, vel fœlicitatis æquabant. Adeoque hæc laus Venetis illo tempore inuidiæ non erat, vt ipse *Berengarius*, quem ab hiis iisdem Hunnis victum & profligatum fuisse diximus, *Tribunum* summis vbique laudibus absentem efferret.

Venetorum de Hunnis victoria nauali.

Tribuni laus.

Cap. 28. Hunnico metu depulso, subierunt rursus Narentani, gens Liburna, & ad latrocinia maritima omni ætate assueta: Hii *rupto*, quod cum Venetis pepigerant, *fœdere*, in Mercatores toto primùm sinu Adriatico grassari, mox in ipsam vrbem cum tumultu sæpè incidere ausi, causam patribus bellum indicendi præbuerunt. *Vrsus Badoarius*, Dux *Tribuno* suffectus, ad hoc bellum instructa classe proficiscitur: Narentani

Narentani.

suis

ſuis viribus diffiſi, pacem petunt; eam Veneti duris, ſed juſtis conditionibus reddunt; vt damna, quæcunque ad id tempus Venetis intuiſſent, æqua æſtimatione reſarcirent. Grauius deinde bellum ab Hiſtris e juſdem littoris accolis Venetæ vrbi ingruit. Ex æde Diui *Petri*, in ea Venetiarũ vrbis regione quod Caſtellũ dicitur poſita, virgines quaſdam deſponſatas, quarũ nuptiæ tum fortè more gentis eo loci celebrabantur, cum quicquid ornamentorũ habebant, nauibus ſubitò inuecti rapuerunt Iſtri. *Bodoarius*, rei indignitatem non ferens, claſſem educit, & circa Clodiam inſulam aggreſſus hoſtes fudit, omneſque captos in virginum vindictam cecidit, cæſoſq; in mare projecit; vt per omnem ſinum fluitantes, cæteris exemplo eſſent, ne quid ſimile in Venetos mouerent. Cujus rei memoria, ſolennibus quotannis ludis, ad poſteros continuata eſt; ludi ipſi vel Mariarum, vel Mariani dicti, quibus duodecim virgines, auro gemmiſque ornatæ, per frequentiſſimos vrbis vicos ſpectandæ ferebantur. Sed hic mos, ad gratias Deo de parta ex hoſtibus victoria agendas inſtitutus, temporis proceſſu, in fœdiſſimum exemplum (vt ferunt) tranſiit. Veneti autem, virium jam ſuarum fiducia ſubnixi, Juſtinopolim, vrbem in ſinu Adriatico poſitam, & in *Juſtini* ſecundi gratiam olim conditam, quod Hiſtriani ſceleris conſcii fuiſſent, bello aggreſſi, ſuæ ditionis tum primùm fecerunt: mox Comaclum obſidione premunt; ſeque dedentes Comaclinos in fidem perpetuò manſuros accipiunt. Inde ortum Venetis fines pro-

Narentanis pax data.

Venetorum de Iſtris victoria.

Ludi mariani.

Venetorum fines propagantur.

pagandi initium. Interim Saraceni Africa egressi Calabriam in Italia, Apuliamque omnem, & Lucaniam, non tam fœdum in modum depopulati sunt: quam in eo, vt suæ ditionis hab deinceps terras facerent, laborabant

Cap. 29. Interim Saraceni, quos in Hispania sedem fixisse superiùs commemorauimus, quum multitudine abundarent, & rerũ ob id angustiis premerentur, ab Armirathe suo petunt, vt sedes exteras quærere liceret. Data copia, *Amormumme*, cognomento *Apochaps*, parata classe, vela, quo ferret fortuna, facit; tandemq; ventis actus ad Cretam appulit. Ipse, militibus expositis, & prædandi causa longiùs abire jussis, ad classem substitit; quumque suos è conspectu abisse peruidisset, classi ignem subjicit. Milites reuersi, quum classem exustam cernerent, nos vero, inquiunt, classe incensa, vndenam quæ necessaria bello fuerint comparabimus? & ille, si viri, inquit, estis, rerum omnium, non ad necessitatem modò, verumetiam ad libidinem abundè habetis. Sedes exteras quærere vos velle ipsi dixistis. Ego vos ad terram melle & lacte fluentem (Judæorum religione ex longinquo imbutum scires) duxi; ingredimini modò, & inuenietis. Itaque necessitate in virtutẽ, vt sæpè fit, versa, & multitudine sua freti, vniuersam insulam nullo ferè certamine suæ ditionis & potestatis faciunt. Qua re intellecta Imperator *Balbus* classem ad Saracenos inde deturbandos misit: sed exercitus in terram egressus, fusus fugatusque, & ad naues compulsus est. Aliam igitur extemplò classem *Crato*

Creta à Saracenis insessa.

Duce

Duce misit; Qui res initio prosperè quidē gessit, negligētia, ex re benè gesta, crescente, nihil ille sed pro more militari deinceps facere nō intra munimenta se tenere, non excubias agere. Qua re animaduersa, *Apochaps* dormientes oppressit; vix ipse *Craterus* inter ignes & gladios ad mare effugit; vbi nauigio mercatorio, quod ibi forte stabat, receptus hosti deditur. *Apochaps* vitā ei suspendio eripuit. Nec tamen ideò *Balbus* tam nobilis insulæ curam abjiciendam esse censuit: itaq; alium rursus Ducē, *Oppiam* nomine, cum classe misit: is rem & cautiùs & fortiùs, quam cæteri fecissent, administrabat, breuique tempore Saracenos omnes, non ex Creta modò, verumetiam ex circumuicinis insulis, quas vnà cū Creta occupauerant, penitùs expulit; & nobilissimam insulam, Saracenis ereptam, Imperio restituit. *Balbus* rebus multo cum sudore, sed quem successus sæpè leuabant, gestis, nono demùm Imperii anno, sed non plenè exacto moritur. Cui in Imperio successit *Theophilus* filius: qui decimo tertio Imperii anno fato cedens, filiū *Michaelem* successorem habuit: quorum neuter quicquā in mari gessit.

Michaele verò *Theophili* filio imperante, Saraceni rursus ex Hispania Cretā cū classe occuparunt, & toto Imperii illius tempore, quod in annum Christi 866 excurrebat, tenuerunt. Cap. 30.

Basilius Imperator.

Michaelem verò sequutus est *Basilius* cognomento *Macedonicus*, quo imperante, multæ præclaræque res, variante quamuis fortuna, cum Saracenis gestæ memorantur. Prima illi cura de Creta è Saracenorum manibus eri-

pienda fuit. Ad hanc rem *Chriſtopherum* quendam Ducem cum claſſe miſit; is in terram cum exercitu egreſſus multiplici victoria hoſtem attenuauit. Ipſe interim in Orientem profectus, varias etiam victorias ex Saracenis reportauit, ſed terreſtes omnes, de quibus nihil attinet hoc loco dicere; quin potiùs ex Oriente in Occidentem tranſeundum, vbi Saraceni, qui Africam tenebant, Italiam magna parte obtinebant, & Raguſium in Epiri littore ex aduerſo poſitam obſidione arctiſsima premebant. Raguſini ſubſidia à *Baſilio* per Legatos petunt. *Baſilius* centum naues bellicas ſubſidio mittit. Quo audito Saraceni eam extemplo obſidionem ſoluunt, & alias Italiæ partes, maximè Longobardiam, prædandi ſtudio petunt. Ciuitates Italiæ, vt quæque vel obſidebatur, vel obſideri metuebat, Raguſinorum exemplo, rebus afflictis ſubſidia à *Baſilio* petierunt. *Baſilius*, & ipſe auxilia prompto ſtudio petentibus ſubminiſtrauit, & Gallorum Regi, (*Carolum Caluum* fuiſſe puto, qui tum fortè in Italiam cum exercitu venerat) vt contra communem nominis Chriſtiani hoſtem auxilio eſſe vellet, per Legatos & litteras ſollicitabat. Nec Gallus tam pio poſtulato reſtitit. Itaque junctis armis cum Saraceno terreſtri prælio congrediuntur; in qua pugna, Saracenorum Sultanus, ſiue princeps, viuus in eorum poteſtatem venit; Sed Francorum Regi traditus, poſt biennium, quum ſe mira arte in Galli familiaritatem inſinuaſſet, fuga ſe eripuit, & ingentium poſtea malorum cauſa Chriſtianis fuit. Hoc

Raguſium obſeſſa.

eodem

eodem tempore *Esmanus* Admirallus siue Præfectus Ciliciæ, Tarso profectus, cum classe Euboeam insulam tentauit, sed frustrà; ipse telo ictus cum multò majore exercitus sui parte occubuit. Interim *Apochaps*, quem ex Hispania in Cretam ad sedes nouas quærendas venisse, eamque insulam, classe sua incensa, occupasse diximus, confirmato jam regno, & classe parata, Præfectum ei dedit quendam nomine *Photium*, multis militaribus factis insignem. Is accepta classe, nihil per totũ mare Ægæum securum aut tutum incolis reliquit. Sæpè etiam in continentem egressus, agros, villas, oppida, vrbes populabatur, ipsi mox vrbi Constantinopolitanæ, vt fama erat, arma & ignem illaturus. His auditis *Basilius Nicetam*, cognomento *Coriphum*, classis Præfectum delegit: Is cum *Apochape* congressus ignem Græcũ, classi Saracenicæ immisit, quo magna pars classis conflagrauit; in reliquas impetum ferro fecit, & magnam vim hostium neci dedit. Qui supererant, fuga abrepti, Cretam petierunt, auctaq; rursus classe, Occidentale Peloponesi latus omne vastauerunt, multasque vrbes vi vel captas, vel deditione receptas nullo discrimine euerterunt. Qua de re *Nicetas* certior factus, veteri commento animum adjecit; veritus nimirùm, ne si Peloponeso circumnauigata hostem quæreret, aduentus ejus hosti, vel è speculis, vel per nuntios significaretur, ad Cenchreas, portum ad Isthmi Corinthiaci latus Orientale positum, cum classe accessit: ibi milite exposito, quo potuit silentio, sed magna festinatione

naues, hominum jumentorumq; vi in alterum Isthmi latus, & ad portum Lechæum traduxit. Vnde milite subitò imposito soluens, hostem improuisò adortus, vniuersam eorum classem partim igne incendit, partim fluctibus submersit; captiuum neminem cepit, sed ipsum *Photium*, viuum ad se adductum, occidi jussit. Cretæ tamen insulam, quod exercitum terrestrem non habebat, petere non audebat. Nec ita multò pòst, alia sexaginta triremium classis ex Africa, ad insulas Græciæ vicinas inuadendas, venit. Huic *Basilius Narsanem* Præfectum in occursum misit. Jamque concursuri erant, cùm sub noctẽ magna sociorum naualium pars, deserta classe, aufugerunt. *Narsanes* subita re perculsus, nec congredi jam ausus, in loca tuta se recepit, & Imperatorem eorum quæ acciderant certiorem fecit. Imperator desertores exquisitissima diligentia conquiri jussit; Inuentos in carcerem, veluti vltimum mox supplicium subituros, conjecit. Præsentium tamen rerum consideratione motus in desertores lege agi vetuit: ne tamen aduersus militarem disciplinam praua indulgentia peccare videretur, ciuium expectationem laudabili commento eluſit. Habuit eodem ergastulo inclusos Saracenos quos bello forte ceperat; Hos capite obsolutos carcere eduxit, eductos medio foro, spectante populo, virgis cædi, & in Peloponesum ad *Narsanem* mitti, & palis ibi coram classiariis defigi mandat. Senserint Imperatoris pietatem classiarii necne, nihil in alterutram partem affirmare ausim; sed siue desertores ipsos tam horribili

De Saracenis victoria.

horribili & inusitato supplicio enectos, seu eorum loco, Saracenos sic affectos rati erant, procedente bello aduersus hostem fortissimè dimicarunt, vniuersamque Saracenorum classem nullo captiuorum aliusuè prædæ respectu, deleuerunt, ipsosque Saracenos, qui ex Creta mouentes magnam Peloponesi partem occupauerant, inde penitùs expulerunt. Inde *Narsanes* in Siciliam & Italiam profectus cum *Procopio* Protobestiario, (is illo tempore titulus honoris erat) & *Leone Apostypa*, terrestrium *Basilii* copiarum Ducibus, junctis viribus, multas Apuliæ Calabriæque ciuitates Saracenis eripuit; & cum nouam ex Africa classem hostibus subsidio aduentare accepisset, classem ipse suam è contrà instruxit, & certamine acerrimè conserto, victoriam de hostibus, multo quidem sanguine empram, sed gloriosam repertauit. Inde Constantinopolim reuersus summo cum honore à *Basilio* recipitur. Populus verò Italiæ abeuntem sic prosequutus est, vt ei necdum defuncto diuinos honores faceret. *Narsanes.* *Saracenis in mare victis.*

Procopius verò & *Leo*, eo discedente, pari potestate, sed disparibus studiis, res administrabant, quum nullũ interim Saracenis classium ex Africa in Italiam & Siciliam mittendarum finem facerent. *Narsane* igitur digresso, statim nouæ inde suppetiæ Saracenis à Carthagine submissæ appropinquare ferebantur. *Procopius* verò & *Leo*, plus semper naualibus quam terrestribus copiis confisi, ambo classe apparatissimè instructa hosti obuiam in mare eunt. Vtque diuersis cornibus inter pugnandum præerant, Cap. 31.

fortè accidit, vt *Leo* in dextro egregiè vinceret, *Procopius* in ſiniſtro à multitudine hoſtium laboraret. Idque videns ſcienſque *Leo*, ferre opem laboranti, quum poſſet, noluit. Itaq; *Procopius*, quod vnum licuit, cum ſua cohorte fortiſſimè pugnando cecidit. Nec defuerunt, qui hoc tantum flagitium *Leoni* ſtatim exprobrarent. *Leo*, ad delendam hanc ignominiam, Tarentum à Saracenis poſſeſſū obſidet, obſeſſumque magna virtute cepit, militique ad conciliandum gratiam in prædam conceſsit. Et erat quidem ea res Imperatori, vt par erat, grata. Veruntamen tantum flagitium, in ciuem, in exercitum, in ipſum Imperium & majeſtatem admiſſum, impunitum eſſe noluit. Itaq; Conſtantinopolim accerſitum exautorauit, exautoratum verò in exilium miſit; ægrè retentus, quo minùs in eum vltimo ſupplicio animadueterent. Sed penſatis rectè ab eo perperam factis, vitam ei in rerum benè geſtarum gratiam & mercedem reliquit; honores verò & opes in ſceleris admiſsi vindictam & pœnam ſuſtulit.

Procopii mors.

Leonis exiliam.

Cap. 32. Saraceni, cum *Narſaueni* Conſtantinopolim reuerſum, claſſem verò Italiæ tutandæ deſtinatam, Ducum diſsidio, majore ex parte cum *Procopio* viro fortiſsimo periiſſe, & ipſum *Leonem* qui ſupererat Conſtantinopolim ad pœnã reuocatum intellexiſſent, nullum vnquam tempus, ad Syracuſas, quæ vnà cum Tauromenio ab *Euphemii* temporibus in fide Imperatoris manſerant, inuadendas oportuniùs aduenisſe rati, claſſem in Siciliam cum ingenti exercitu, mittunt.

mittunt; terraque vrbem & mari, operibus & omni tormentorum genere oppugnant. Cujus rei quum Syracuſani *Baſilium* per litteras certiorem feciſſent, is confeſtim parem Saracenicæ claſſem cum exercitu in ſupplementum mittit. Dux erat quidam nomine *Adrianus*, aulicorum vnus; is, circumnauigata Peloponeſo, ad portum *Hieraca* fœlicibus ventis peruenit. Ibi vento in contrarium verſo ſubſtitit. Syracuſani tam propinquæ opis ſpe omnia obſidionis mala fortiſsimo animo tolerabant; & Saraceni, rem antr ejus aduentum tranſigendi ſtudio, vrbem omni parte, nullum vt reſpirandi tempus obſeſsis darent, fortiùs quam vnquam & ferociùs oppugnabant. Erat, vt dixi, *Adriano* ventus quidem Siciliam ab Hierace portu vela facturo contrarius, ſed lenis adeò, vt remis facilè nulloque negotio euerberari poſſet. Is tamen, ſeu hoſtium metu, ſeu loci illecebris & amœnitate, ſeu inſita aulicis ignauia captus, niſi vento addicente, pedem ſe inde moturum negat. Interim Saraceni, cum infanda ſuorum ſtrage, completis cadauerum multitudine foſſis, vi & virtute muros occupant. Nec eò tamen fracti ſunt ciuium animi, ſed vulnerum mortiſque obliti, in hoſtem vbique veluti in aperta acie feruntur: cæduntur; viciſſim & cædunt, donec ad extremum, effractis portis, totus Saracenorum exercitus intromittitur. Tum verò & claſſiarii, relictis nauibus, porta ad mare verſa irrumpunt, omniaque vrbis loca ſanguine & cæde complent, ducique ſuo *Hocobo*, qui dum inter confertiſſimos mœnia vrbis ſcanderet,

Syracuſæ à Saracenis captæ.

scanderet, tormento trajectus perierat, Christianorum sanguine impii parentarunt. Ferunt nocte hanc cladem sequente vocem in paludibus vrbi Hieraci circumjectis exauditam, *Captas esse Syracusas*, idque continuis aliquot noctibus esse factum; *Adrianum* verò rumore motum, cadente mox Sole, ad locum accedentem eandem vocem auribus quum accepisset, attonitum recessisse; Manè verò proximo nuntium cladis, incendio elapsum, cum ad Hieraca appulisset, rei gestæ tempus congruenter exposuisse. *Adrianus* suæ jam ignauiæ, sed serò, pertæsus, retrò Byzantium, vnde profectus fuerat, nauigauit; vbi quum malum sibi ab Imperatore *Basilio* intentari comperisset, ad ædem sacram confugit. *Basilius* verò indè extractum publicè flagris cædi jussit, cæsumque in exilium, vt meritus erat, perpetuum misit. Sub hoc ipsum tempus Saraceni, qui Thraciam jam olim occupauerant, inde cum classe soluentes, mare omne Ægæum, & vrbes imperiales, in Asiæ littore sitas, grauiter afflixerunt: aduersus quos *Basilius* validam classem emisit: & multus vbiq; nunc Saracenorũ, nunc Christianorum sanguis effusus; multũ, inquã, sanguinis in mari, longè verò plus terrestribus præliis absumptum. Nec alius vllus Græcorum Imperator tot præliis, tamque cruentis, terra, mari, in Occidente, in Orlente, tam horrendis acceptis illatisque cladibus cum Saraceno hoste, seu per se, seu per Legatos suos depugnasse legitur. Hic *Leonem*, cognomento *Philosophum*, filium & Imperii successorem habuit, virum

Præfectus classis ignauia causa flagris cæsus & in exilium missus.

Basilii laus.

omni

omni doctrinæ genere eruditum, nec virtute bellica carentem, præliis tamen Bulgaricis,& terreſtribus magis quam Saracenicis & maritimis exercitatũ. Cujus ea ratio fuit; quod illo primùm regnante, Turcæ à Perſis implorati, Saracenos tota Perſide expulerunt, nomenque regni Perſici, quod à tempore *Heraclii* Imperatoris, per *Mahumetem* ejuſque ſucceſſores Babyloniæ Califas,Saracenicum dictum fuerat, reſtituerunt. Vnde magnum Imperatoribus Græcis, ad multos annos, à terreſtribus incurſibus quies parta fuerat. Qua illi, ad luxum,libidinem, auaritiam, & cædes priuatas & publicas & parricidia abuſi, nihilo ſe quam Saracenos meliores eſſe oſtendebant.

At nos relicto mari Mediterraneo, Græcorumque & Venetorum Saracenorumque rebus (quæ ad quinquageſimũ indè & ampliùs annũ nec multæ, nec magnæ in mare erant)ad tẽpus omiſſis, Oceanum noſtrum, Danorumque & Normannorum in illo claſſes & prælia repetamus. Qua in re illud primùm non omittendum cenſui, illos qui à noſtris Hiſtoricis Dani vocantur, aliarum gentium Scriptoribus Normannos,hoc eſt,homines Boreales, ſeu Septentrionales dici. Idque rectiùs forſitan ab hiis quã ab illis fieri. Non enim vnius Cherſoneſi aut gentis erant immenſa illa hominũ non exercitus,ſed examina,quæ hiis temporibus in omnes Europæ partes ſe effuderunt. Sed miſti cum Danis Noruegi, Gothi, Suedi, Fenni, omnes deniq; maris Baltici accolæ, mitiorem cœli plagam ſequuti, ſedes nouas ad Auſtrum nauibus

Cap. 33.

Dani & Normanni.

bus quærere cœperunt. De quibus quum ſuperiùs verba facerē, dixi duas ingentes Danorum claſſes, alteram *Hungaro* & *Hubba*, alteram *Seerrego* & *Haldene* Ducibus, ſub annum Domini octingenteſimum ſexageſimum ſextum in hanc noſtram Britanniam diuerſis partibus appuliſſe; ſed junctis mox exercitibus, cum *Ethelredo* Rege, cruento, ſed ſibi funeſto prælio decertâſſe. Decimo verò inde anno, hoc eſt, anno Salutis noſtræ octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, *Rollo* præcipuæ nobilitatis apud Danos vir, & rerum gerendarum auidus, contracto cum claſſe ex omnibus conuicinis gentibus exercitu in hanc noſtram primùm inſulam deſcendit. Eo tempore Anglorum Rex *Elfredus* erat, cum quo congreſſus *Rollo*, longo & difficili prælio, ſed victoria (nocte prælium dirimente) dubia dimicauit. Ferunt ea nocte in ſomnis monitum, vt relicta inſula melioribus auſpiciis ſedes in Continente, quæreret. *Polydorus Virgilius* hunc *Rollonis* in Britanniam appulſum in annum Domini octingenteſimum octuageſimum ſeptimum, ſed nemine, quod ſciam, aſſentiente rejicit. Priorem certè calculum *Meierus* in Annalibus Flandriæ, & ex noſtris *Dunelmenſis*, & *Houedenus* tuentur. Sub hoc igitur tempore è ſinu Baltico Normanni, eo, quem dixi, *Rollone* Duce egreſſi, omnia ferè per Europam, quæ modo mare quantumuis ex longinquo ſpectabant, loca, cum trecentarum quinquaginta nauiū claſſe, Conſtantinopolim vſque, vt ait *Blondus*, ſuis deprædationibus infeſta reddiderunt. Qua in re à *Sabellico*, vt nimius

Rollonis Normanni in Britanniā appulſus.

A Rollone editæ in Continente ſtragēs.

nius & regionum ignarus reprehenditur. Quippè rem incredibilem planè esse, vnam gentem ad loca tam dissita piraticam faciendo progredi potuisse. Quasi verò mercaturæ faciendæ causa illæ ipsæ nunc gentes vltra Constantinopolim vela non facerent; quasi Scythæ olim ex intimo Ponto & Mæotidis palude, hoc est, ex locis immensum quid vltra Constantinopolim positis progressi, *Diocletiano* imperante, in hæc nostra maria, vt *Carausio* jungerentur, non peruenissent. *Rollo* igitur, seu somnio monitus, seu consilio ductus, die pugnam sequente retrò ad naues abiit: quibus properè conscensis, primùm Frisiam in Germania tentauit. Longiùs inde progressus Sequanæ ostium subiit, oppida & vrbes juxta positas vastauit. Mirum est potuisse: sed omnia loca, à Sequanæ fluminis ostio Parisius vsque nauibus subeuntes peruaserunt. Ibi barbara & inaudita crudelitate aduersus omne hominum genus, sed supra omnes contra Sacerdotes & Clericos gens barbara & Pagana grassabatur. Hos enim veretris & testiculis suspensos ad mortem ludentes adigebant. Inde versiculus qui in templo Sanctæ *Genofuenæ* Parisius ad hunc vsque diem inter missarum solemnia decantari dicitur, *Libera nos Domine à furore Normannorum.* Omnibus certè in Scholis & Academiis, apertum inter Parisienses & Normannos dissidium est, & sæpè cædes. Cujus originem ab hac Normannorum in Parisienses edita crudelitate tractam fuisse, quum olim Aureliis Juri ciuili operam darem, intellexi. Fines deindè Nannetum, qui

Ligeri

Ligeri fluuio alluuntur, vicinoſque Andas, longiuſque aduerſo flumine ſubeuntes, Turonas, & Aurelias in Galliæ veluti meditullio poſitas, inde ad dextram flectentes, ſi quid adhuc regni illius interius erat, & Pictonas depopulati, nihil ferè toto illo tractu inconuulſum reliquerunt. Nam & Garumnam fluuium eodem tempore cum alia claſſe ſubeuntes, Burdegalam incenderunt, & vniuerſam dextra læuaque Aquitaniam, Santonaſque & Lemouicos deprædabantur; ea hominum pecudumque ſtrage, planè vt veritos fuiſſe crederes, ne Hunnis, Gothis, Vandalis, Longobardis & Saracenis, crudelitatis laude ceſſiſſe viderentur. Cum hiis *Carolus* Franciæ Rex & Imperator, cognomento *Caluus*, varia fortuna ſæpiùs conflixit; ſed in Italiam ipſe euocatus, liberum in Gallia graſſandi ſpatium Normannis dedit. Autores habeo tota Galliæ latitudine emenſa ad Burgundos vſque arma prædabundos protuliſſe. Interim affluente ſemper multitudine, parte alia Flandriam inuadunt, Gandauum hibernis deligunt; Menapios ad internecionem cædunt: Audomaropolim incendunt. Teruannum & Tornacum in Morinis poſitas vaſtant. Aldenburgum, Rodenburgum, Osburgum, Toraltum, Furnos, Bononiam, Heckelsbekam, Groneburgum, Caſletum, Baliolum, Stenfordium, Poppringham, Hypram, Virouiacum, Duacum, infinita alia loca, quâ in Menapiis, quâ in Morinis, direptis opibus, & fuſo ciuium ſanguine, incendio tradiderunt. Sed quid maritimis regionibus immoror? Auguſtam Treuirorum, vrbemque

vrbemque Mediomatricum pari ſtrage deformarunt. Id modo dubium, hoccine ab iis Normannis perpetratum fuerit, quos per Sequanam, Ligerim & Garunnam fluuios Galliam ingreſſos, an ab iis, quos annũ poſt, in Flandria terram cepiſſe, diximus. Illud conſtat, qui per Ligerim & Garumnam ingreſſi ſunt è Burgundia ad naues ſoſpites rediiſſe; inde ad Hiſpaniæ littora progreſſi, maritimas Hiſpaniæ oras omni belli injuria affecerunt. Ac primùm Galleciæ oram omnem infeſtarunt, & ad portum Brigantinum appulſi terram ibi vt caperent & arma inferrent laborabant. Sed *Ramirus* Regulus Chriſtianus, qui loca illa cõtra Saracenos tuebatur, cum claſſe occurrit, commiſſoque nauali prælio, hoſtem egregiè vicit, & ſexaginta eorum naues, vel cepit, vel ſubmerſit. Inde cũ clade rejecti Vliſſiponã, quæ tum à Saracenis & Mauris tenebatur, veniunt. Nec diù ibi morati Gades petunt; Hiſpalim terra marique obſident, circumjectam regionem ferro & flamma vaſtant. Denique quatuor grauiſſimis prælijs, aliis terra, aliis mari commiſſis Saracenos vincunt: Sed quum *Abderrahamum* Regem cum inſtructiſſima claſſe aduentare comperiſſent, abierunt; fretumq; Gaditanũ ingreſſi, breui Normannorũ nomen toto mari mediterraneo formidabile reddiderunt. Hoc nimirùm illud tẽpus eſſe videtur, quo *Blondus* eos Conſtantinopoli, quamuis quẽ autorẽ ſequutus neſcio navibus vim intuliſſe memorat. Interim *Carolo Caluo* Mantuæ in Italia, à *Zedechia* Judæo, quo medico vtebatur, ſublato,

Normanni pugna nauali à Ramiro Hiſpanio victi.

Carolus,

Carolum, quem alii *Crassum*, alii *Grossum* nuncupant, (quum quanto successu creuerant Normannorum res cerneret) fœdus cum *Rollone* pepigit, & Neustriæ prouinciam illi cessit; quod fœdus *Carolus Simplex*, qui *Crasso* successit, cum *Rollone* renouauit: Isq; susceptа tricesimo à suo in Galliã aduentu anno Christi fide, & ducta in matrimoniũ Regis filia, Neustriã prouinciã in *Normannia* qua stabilem demùm sedem reperit, à suis Normannis Normanniam appellauit; Se verò à baptismo, non *Rollonem* ampliùs, sed *Robertum* dici maluit. Denique ne non justam temporum in historia scribenda rationem habuisse existimemur, illud lectorem moneri volumus, hunc *Rollonem* vltra annum Christi nongentesimum vitæ spatium protulisse, eamque pari demùm cum *Leone Sexto*, *Basilii* filio, Græcorum Imperatore, termino clausisse.

Cap. 34. Jamque in tempora confusa planè & verè tartarea, quibus nulla virtutis, doctrinæ, religionis lux affulsit, descendimus. Religio Christiana, præsertim in Occidente, tota ad imaginum & cadauerum cultum & adorationem defluxerat; artium & disciplinarum nulla ratio habita. *Caroli Magni* stirps in Germania & Italia penitùs defecerat, & in ipsa jam Gallia mox extirpanda degenerabat. Suborta igitur est in Germania noua Saxonum, in Italia *Berengariorum*, in Gallia *Capetiorum* familia, quæ sine horribili rerum confusione fieri non potuerat; omnium vero teterrima pestis hoc sæculo erat Romana sedes. Anno Salutis nongentesimo quinto moritur *Formosus* Pontifex, cui

cui viginti ſex, (alii triginta numerant) ſuo ordine Pontifices, nunc ſinguli, nunc ſimul plures ſucceſſerunt; quorum nullus (vnum *Stephanum* ſi exceperis) aliquid in ſe, non dicam Pontificis, non Sacerdotis, non Clerici, non deniq; Chriſtiani, ſed, præter formam, hominis habere videbatur. Non dicerem, niſi omnes temporum illorum, aut qui de illis temporibus ſcripſerint, autores, & inter hos Platinam, hominem & doctum, & Pontificio nomini addictiſſimum teſtes afferre poſſem. Vnius Præpoſiti Tubingenſis verba aſcribam; *Hii*, inquit, *poſthabito diuino cultu inimicitias non ſecus ac ſæuiſſimi Tyranni inter ſe exercebant; ſuas voluptates poſtea expleturi, quum non extarent, qui eos coercerent. Quare Deus illos tanquam monſtra breui ſuſtulit.* Scelera ipſa ſilentio prætereo; quid enim attinet dicere? & quidem ſi attineret, prudens tamen præterirem, ſi non ſedis ipſius, quam majorum ſuorum tuetur gloria, attamen Chriſtiani nominis verecundia.

Verùm vt ad Mare Mediterraneum, perpetuum rerum naualium theatrum redeam, Veneti, tot tamque inſignibus contra Gallos, Hunnos, & Saracenos, partis in mare victoriis elati, majora jam animis concipere cœperunt, & imperium extra paludes ſuas proferre jamdudum geſtiebant; ſed vitio temporum, ciuitas hactenùs optimis moribus via, factionibus intus agitari cœpit; & *Caloprini Maurocenos* medio foro trucidabant; quumque *Tribunum* Ducem Maurocenorum cauſæ fauere comperiſſent, *Orbonem*, qui ad vrbis res ordinandas in Cap. 35.

Italiam ab *Othone* patre miſſus venerat, ſupplices adeunt. Princeps factionis *Caloprina Stephanus* erat: is opem non aduerſus Mauroce-
Venetiæ ab Othone obſeſſæ. nos magis, quam contra totam Venetiarum ciuitatem petit, ſeque ei viciſſim Vrbem Venetam in manus traditurum eſſe ſpondet. *Otho* quoniam & res ipſa grauis, & rei author non leuis erat, Caloprinos bono animo eſſe jubet: ſe cauſæ eorum defuturum non eſſe pollicetur. Nec mora bellum Venetis inferre parat. Memor tamen quo ſucceſſu *Pipinus* primùm, mox Hunni in ſtagno illo depugnaſſent, nouum genus obſidionis excogitat. Edicto primùm Italis Venetorum commercium interdixit. Venetis deindè, nè Imperii vrbes commercii cauſa adeant, denuntiat; Senſerunt Veneti quid *Otho* moliretur; nempe ut ciuitatem mari vndique concluſam commeatibus à terra excluderet. Sed quum hoc ejus conatu annonam ciuibus difficilem magis, & anguſtam, quam ipſi vrbi damnoſam futuram eſſe cernerent, rem diſſimulant; certi omnia priùs, quam ſeruitutem pati. Jamque ad aliquantulum inopiæ ventum erat, quum *Caput Aggeris* à Veneto nomine defecit; Cujus incolas ad ſe venientes *Otho* omni humanitatis genere excepit. Nec ſuas modò res ſine omni injuria ſibi habere juſſit, verumetiam ex vicino agro prædia pleriſque conceſſit, vt illa veluti eſca cæterorum animos ad defectionem ſollicitaret. Quum verò anguſtior indies annona fieret, plebs concitata, Caloprini nominis ædes, totavrbe diruunt, vxores eorum & liberos cuſtodiæ tradunt, bona di-

ven-

vendũt; nec quorsum surda illa obsidio euasura esset ciuibus constabat, quũ subito mors *Orbonis*, qui Romã sub illud tempus profectus, ibi expirauit, oportunè nuncia tur. Eo extincto cõmercia Venetæ ciuitati redditurum, et Caloprini, gratiâ factâ, Venetias redierũt. Vbi paulò post Mauroceni, tres *Stephani*, (qui Caloprinæ factionis caput erat), filios à cœna redeuntes interimunt. Indè grauiùs quã priùs in vrbe tumultuatũ. Ipseque Dux sceleris conscius vulgò ferebatur. Itaque aduersa ora ciuium non ferens, Ducatu se abdicauit. Quo facto, *Petrum Vrseolum*, communi omnium consensu, ducatum adeptus est, sub quo res Veneta domi forisque, suprà quam sperari potuit, incrementa cepit.

Cap. 36. Vrseolus *Venetiarum Dux.*

Vrseolus enim inito statim Ducatu à *Basilio*, & fratre ejus *Alexio*, (alii *Constantinum* vocãt) qui simul eo tempore in Oriente imperabant, missa legatione petiit, vt toto eorum Imperio Veneti nominis negotiatores terra marique àvectigalibus & portoriis immunes haberentur. Verecundiæ erat, Venetis tam benè de Imperio & vniuersa Rep. Christiana meritis rem petitam negare. Quæ res Veneto nomini, non solùm commodo priuatim, verum etiam publicè, & apud exteras gentes honori fuit. Vnum erat, quod *Vrseoli* animum momordit. Sæpiùs Veneti, (quod jamdudum memorauimus) cum Narentanis de sinus Adriatici dominio conflixerant. Id enim Narentani longo vsu sibi vt hæreditarium sumpserant, & ipsos Venetos eo nomine sibi vectigales quandoque fecerant. Quod flagitium *Vrseolus*, non vltra ferendum

ractus, bellum Narentanis inferre statuit. Molientem legati ex Dalmatia frequentes, questum de Narentanorum injuriis adeunt. Publico nomine agunt, si in Dalmatiam aduersus Narentanos, cum valida classe transmitteret, oramque littoralem ab eorum injuriis vindicaret, fore ut vniuersa Dalmatia, cum Liburniæ Histriæque ora, quæ tota sinus Adriatici longitudine protenditur, in Venetorum fidem & clientelam concederet. Ad hanc legationē erecti sunt omnium animi; maximè *Vrseoli*, qui hanc propagādæ Venetæ ditionis occasionē, se potissimum Ducē, oblatam esse lætabatur. Extemplo classis valida paratur. Militibus impositis, Dux ipse in Templo Oliuolensi, à loci Antistite cum sacra benedictione vexillum solenniter accepit. *Malamocco* egressus Aquileiam primò venit. Vbi loci Antistes cū clero suo, effuso toto etiam veluti ad spectaculum populo, progressus, & aduentum ejus honorificè gratulatus, vexillum à Diui illius loci altari desumptum, inter patria Venetorum signa deferendum tradidit. Mouit *Vrseolum* & munus ipsum, & author muneris, & autoris in tradendo pietas. Et, *Accipio*, inquit, *venerande Antistes, omen: tuque nobis faustum iter, & felicem reditū precare queso.* His dictis in Istriā transmisit. Ibi *Parentū* vrbē classe occupare parat. Sed nil opus armis erat: loci Episcopus occurrit: ciuitatis nomine vrbem dedit. Inde Polam in eodem littore positam contendit. Polani vltrò se fidei Venetorum committunt. Huc Legati ex omnibus vicinis ciuitatibus se, fortunasque suas omnes

Bellum Narentanis à Venetis indictum.

omnes *Vrſeolo* vt ſinus Adriaci vnico in terris vindici, cõmittentes confluunt. Itaq; dati aliqui legationibus audiendis, populis in fidem recipiendis, & (quia vltrò naues offerebantur) militibus, ſociiſque naualibus, quibus complerentur, conſcribendis dies. Inter cætera illud Venetis nec opinantibus datũ erat, vt inter ſacrorum ſolemnia, poſt Imperatorem, Ducem populumque Venetum, laudibus & votis celebrarent. Jamque ad inferiorem Dalmatiæ partem, & Narentanorum ditionẽ ventũ eſt; qui omnes tantã rerũ inclinationẽ, & ducis præſentiam reueriti, poſitis armis, legatos vndiq; de pace mittunt. *Vrſeolus* pacẽ haud abnuere: de conditionibus aliquantiſper certatũ eſt. *Vrſeolus* has dedit. *Fidem chriſtianam, religioſiùs quam prius, colerent: damna Venetis omnia reſarcirent: impenſas belli refiterent: ne tributum à nauigantibus exigerent: neve Reguli piraticam amplius exercerent.* Nihil eorum à Narentanis (quippe quibus præſens exitium, ni imperata facerent, imminebat,) recuſatũ. Duæ modò reſtabãt Inſulæ; Corcyra, (quæ *Melena* antiquitùs, poſtea verò, *Corcyra nigra* vocabatur, nunc *Curzolo* dicitur) & Pharus. Hæc olim Paros, quòd à Pariis, qui Paron in Ægæo mari inſulam, templo olim *Apollinis*, & marmoribus nobilitatam incolebant, huc advectis coli cæperat, appellatafuit. Volebãt & hæ, eiſdem quibus aliæ, conditionibus recipi. Sed quum aliam aliarum vrbium, aliam ſuam cauſam eſſe, ab *Vrſeolo* reſponſum eſſet, belli aleam experiri placuit. Erant nimirum hæ duæ inſulæ ſinui Adriatico veluti compedes injecti:

nulla vt nauis, hiis inuitis, mare illud vel tutò intrare, vel inde exire, vel vſpiam ſe, ſine periculo, temere mouere poſſet. Harũ igitur duarũ inſularum vrbes, in accolarum & mercatorum gratiam ſolo æquare in animo *Venetus* habebat. Parenſes verò primùm aggredi viſum eſt. Et *Vrſeolus* primo impetu portum occupat. Parenſes loci & natura & munitionibus freti, acriter ſe defendunt. Sed quum & à mari & à terra telorum multitudine mœnia defenſoribus nudarentur, ſubeunt Veneti, ſcalaſque quas ad hoc adduxerãt, arci, quâ præcipuè *Parenſes* fidebant, admouent. Nec vltra vnius diei obſidionem res erat. Duæ, dedentibus ſe parci, reſiſtentes occidi, vrbem & arcem dirui jubet; idem & Corcyræ factum. Inde Raguſium mota caſtra. Sed omnia ibi Venetorum armis patuerunt. *Raguſinus* Antiſtes vltrò venienti Duci occurrit, claues vrbis tradit, imperata Raguſinos facere paratos docet; ne in deditorum vel corpora vel fortunas ſæviret, per ſacra, quæ manibus geſtabat, rogat. Omnia à Principe, qui & miti per ſe ingenio erat, & clementiæ laudem affectabat, facilè impetrata. *Vrſeolus* rebus compoſitis, cum ſumma gloria Venetias redit. Vbi quum habita concione, res à ſe geſtas, & omnem ab Hiſtria ad extremos Dalmatiæ, qua Epiro jungitur, fines, oram ſuo ductu Venetorum imperio ſubjectam eſſe expoſuiſſet, ſuccclamatum ab vniuerſa concione eſt, & Dalmatiæ dux ab omnibus ſalutatur. Inde Venetiarum Ducis titulis Dalmatia adjecta. Idemque poſtea Venetiarum & Dalmatiæ dux appellari cœptus.

Dalmatiæ Dux.

Gratiæ

Gratiæ insuper à Principibus totius tractus illius, Rebusque publicis per Legatos actæ, quod eorum opera maria à latrociniis, quibus per aliquot jam sæcula infesta fuerant, purgata conquiescerent, tutaque mercatoribus pateret via. Hic finis belli Narentani fuit; quum per annos centum circiter & septuaginta, de maris illius possessione vario sæpè euentu inter duos populos pugnatum fuisset; ut author est *Sabellicus*. Erat autem Narensium ciuitas peruetusta, sed Illyriorum, qui Teucâ olim Reginâ, jus suum in illo mari contra Romana arma aliquandiu sustinuerant, vera, vt ãte dixi, & genuina soboles, et inter Dalmatiæ populos à Ptolomæo recensita, supra sinum Rhizonicum, ad Narona fluuium, ad cujus ostium vrbs Narenta collocatur, posita. Hii loci oportunitate freti, vectigal siue portorium mare illud nauigantibus antiquis temporibus indicere solebant: & si qui pendere recusãbant, hostium loco habuerunt. Id littoris utriusque accolæ purum putum latrocinium appellabant; querelamque super ea re suam ad S. P. Q. R. bello Punico primo statim finito, vt nos superiùs memorauimus, detulerunt. Quumque Romani legatos suos ad *Teucam* Reginam misissent, illa populi sui jus consuetudine tuebatur. Et est illud quidem verum, prævalentis tum populi Romani viribus, jus illud, qualecunque demum fuit, ad multa sæcula fuisse interceptum. Nec è majestate populi Romani esse videbatur, in tantarum victoriarũ cursu portoriis exigendis immorari. So-

luto verò demũ Romano imperio, loci incolæ, ad priſtinum jus & ingenium ſuum redierunt. Inde quũ res Veneta ſucceſſibus creuiſſet, lis inter duas gentes, veluti inter riuales, orta eſt; eaque conditionibus ſæpè ſic finita, vt Narentani Venetis portorium nunc indicerent, nunc remitterent; Veneti Narentanis nunc ſoluerent, nunc ſoluere recuſarent. Donec ad extremum aucti potentia Veneti, Narentanos funditus euerterunt. Quo edito facinore, omnis dominii in mare illo exercẽdi mẽtio ad tempus ſiluit. Sed confirmatis mox rebus, nemine contra nitente, jus Narentanis ademptũ ſuis vſibus Veneti applicuerunt. Tanta enim erat Venetorũ nõ potentia modò, verùm etiã propter Saracenos toties à ſe fuſos, apud maris illius accolas gratia, vt ad jus Narentanis hoſtibus ademptũ, communis inſuper gentium conſenſus & autoritas hac in re acceſſerit. Inde cõſuetudo paulatim inducta: quæ tã juſtis rationibus ſubnixa, vim juris proceſſu temporis obtinuit. Sublato tamen mox Saracenorũ metu, non deerant qui jus hoc cauillarentur. Inde res non ſermonibus modò apud imperitum vulgus, verùm etiam apud viros doctos & Juris conſultos editis libris agitari cæpta eſt. Sed vicit ſemper ea ſententia, quæ maris Adriaci dominium & poſſeſſionem, & regalia in eo exercendi jus Venetis addixit, vt non ſolùm titulo à Narentanis recepto, & conſuetudine, juſtiſſimis rationibus introducta, Chriſtianiq; Populi conſenſu roborata, verùm etiam reſponſis prudentum & rebus judicatis jus ſuum & poſſidendi

Venetorum maris dominium in ſinu Adriatico.

di cauſam nunc dierum Veneti tueantur. Celebreque olim per omnes gentes fuit illud eorum ad Pontificem reſponſum. Nempe quum ab eo imperioſiùs per legatum edere juberentur, qua tandem, aut cujus Principis donatione freti, quovè alio titulo, dominii jura in mari illo vſurparent: Enimuerò, parùm juſtè, nec pro more facere Pontificē, reſponderunt, qui tabulas illas ab ipſis proferri flagitaret, quas S. S. penes ſe Romæ in archiuis repoſitas haberet. *Donationem* modò *Conſtantini* exquireret: in ejus enim tergo, quod quærebat, inuenturum. Quo tam faceto, ſed mordaci reſponſo, ſatis indicabant prudentiſſimi viri, nec Pontificem ipſum tot vrbes & regiones in terra, nec ſe Dominii in mari exercendi jus, vllo Imperatoris vel Græci vel Romani diplomate aut donatione, ſed vſurpatione, longa eorum, quorum præcipuè intererat, ſcientia & patientia, hoc eſt, conſenſu & autoritate confirmata poſſidere: bello ſe defenſuri, ſiquis tam legitimè quæſitam, & tam diuturna præſcriptione munitam poſſeſſionem turbare velit.

Nam ad eos quod attinet, qui mare dominio teneri, aut omninò poſſideri poſſe negant, næ illi, legem primæ rerum creationi à Deo datam animaduertiſſe non videntur. *Dominamini* inquit *piſcibus maris*? Piſcibus, opinor, qui in mari ſunt, dominari fas eſt; ipſum verò, cui piſces inſunt, mare poſſidere nefas. Nam ſi verba hæc jus in mare non tribuant, ne illa quidem quæ ſequuntur, jus vel in aere quo vescimur, Cap. 37. *Mare an dominio teneri & poſſideri poſſit.*

ſcimur, vel in terra quam calcamus, tribuunt. *Dominamini*, inquit, *piſcibus maris, & volatilibus cæli, & animantibus quæ mouentur ſuper terram.* Harum nimirum rerum, veluti clauium traditione, vniuerſi domicilii hujus poſſeſſionem humano generi à Deo datã fuiſſe nemo dubitat. Quid? quòd terram poſſideri & dominio teneri, nemo neſcit. Atqui terra & mare vnum orbem, & idem vniuerſi centrum faciunt. Itaque ſi terra dominii capax ſit, vtique & mare erit, nec res, vna quum ſit, diuerſo jure cenſeri debet; Neque verò ad rem facit, quòd *fluidum ſit mare*; nam & *flumen* omne *à fluendo* dicitur: & quis tamen flumina vel priuatim vel publicè poſſideri negat? At, inquit, *mare fluidum quum ſit, finiri nequit.* Stultus igitur *Procopius*, qui in Gotthicis ſuis, *mare Tyrrenum ab Adriaco, ducta à Pachino Siciliæ Promontorio ad inſulam Melitam lineâ diſterminari* docuit. Stultus *Ptolomæus*; ſtulta omnis Geographorum natio, qui ductis à centro ad cœlos lineis, maria æquè ac terras ſuis terminis *finiri*, & commenſurari poſſe demonſtrârunt. Nempè quam opem pali, perticæ, foſſæ, lapides terminales, ruſticis in prædiorum ſuorum finibus ſtatuendis præbent, eam lineæ doctis, in terræ mariſque plagis deſcribendis & regundis, præſtant. *Alexander* Sextus, Pontifex Romanus, arbiter ſumptus, quùm Indiam vtramque inter Hiſpanum & Portugallum diuidere vellet, lineis quibuſdam, non per terram, ſed per mare ductis, id effecit. Non dico, quo jure: (cõſtat enim nullo) ſed quo ingenio: quo plurimo

mo in hoc opere Pontificē vsū fuiſſenon ambigitur. Nobis etiā& Hiſpanis cōcordes ſunt citra Æquatorem animæ; vltra quam, Auſtrum versùs, ſi alteri alteris occurrimus, infeſtis ſtatim armis & animis concurrimus, planè vt alii repētè homines, tranſito illo limine, facti eſſe videamur. Quare ſi mare fluidū quantuis ſit, finiri tamē poſſit, vtiq; &, ipſis cōcedentibus, poſſideri poteſt. Nā ſi pergūt moleſti eſſe, ſi mare propter mobilē ſui naturā *finiri*, & proinde poſſideri nō poſſe pugnant; nihil planè impedit, quo minùs Cyrenaicam in Ægypto, & immēſas alias per Africam et Æthiopiam regiones, nullius in bonis eſſe eodē ingenio contendāt. Ibi enim haud minores arenarū, quàm in mari aquarū, voluuntur montes; vtque fluctibus in mari claſſes, ſic in terris illis arenarum molibus toti ſæpè obruuntur exercitus: quod *Cambyſis* olim Perſarum Regis copiis, aduersùs Ammonios tendentibus contigiſſe proditur. Et tamē hæ ſolitudines, proprios dominos agnoſcunt. Quid ni igitur & ſuos, diuerſis mundi partibus, agnoſcat mare? *Cauſa*, inquit, *eſt quòd Principes qui dominiū in mari quærunt, nullis limitibus natura aut manu poſitis, ſed imaginaria quadā linea ſe tuētur.* Atqui hæc linea, quā ſic per contēptum *imaginariam* appellant, illa ipſa res eſt, qua, vt à ſe, vel inuēta vel perfecta, effert ſe maximè& gloriatur *Ptolomæus*; & hanc regionum per lineas à centro ad circumferentiam ductas, & per gradus diſpoſitas & comparatas deſcribendarum rationem, omni menſorum & metatorum operā, vt diuiniorem multò, ita longè certiorem eſſe probat.

Nec

Nec, dum iſta ſcribo, vereri ſoleo, *ne Geometræ nobis terram eripiant.* Quin potiùs Ægyptios, quum terra ſua omnis limo ex Nili inundatione obducta, ſic olim quotannis confundi ſolebat, vt nemo quid agrorum ſuum, quid alienum eſſet, internoſcere potuerit, Geometriæ demum arte inuenta, terminorum ſuorũ notitiam conſeruaſſe memini. Nedum Aſtronomos, *ne illi cælum nobis ſuis lineis ereptum eant* metuo: maximè quum *Axem* illum, quo ſuſtinetur, & circa quem rotatur cœlum, nihil aliud quàm lineam à polo ad polum per vniuerſi centrum ductam, hoc eſt, Aſtronomorum opus totum eſſe ſciam. Nam quæ tandem eſt hæc animi peruerſitas, ſpretis, quæ mente & diuina quadam ratione excogitantur & ſtatuitur, finibus, limites manu factos in maris profũdo flagitare? & hiis argutiis, viam ad arma, ad cædes, ad lanienas, per vniuerſum jam mundũ quærere? Verũ enimuero *commune quid eſt mare: & proinde à nemine, vt ſuum, vendicari poteſt.* Quaſi verò communis omnium noſtrûm parens terra non eſſet: & tamen eam fodimus, aramus, & de qualibet ejus gleba contendimus, meamque eam & tuam, nullo (vt opinor) ſcelere appellamus. Quid ni igitur noſtrum appellemus & mare? quod vt ſit communiſſimum, terra tamen ipſa, vel aere, ab initio certè, cõmunius non fuit. Nempe tria hæc, *aer, aqua, terra,* ſi naturam ſpectas, æquè ſemper cõmunia habita fuerunt.

Cap. 38. Et quoniam quibus hac in arena ludere aliquando placuit, poetarum dicta, pro autoritatibus proferre non dubitarũt, nos etiam in eadem

adem re idem facere, quid ni audeamus? Terram igitur à principio communem fuiſſe, poetarum Latinorum Princeps ille in Georgicis oſtendit. *Ante Jouem* (inquit) *nullì ſubigebant arua coloni: Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum, Fas erat*: & in eandem ſententiam, à primo proximus poeta *Ouidius*, in Metamorphoſeon primo, poſt *Saturnum*, & ſub *Jouis* demum Imperio, rerum vendicationem & poſſeſſionem cæpiſſe docet; *Communemque prius, ſeu lumina ſolis & aura, Cautus* (inquit) *humum longo ſignauit limite menſor*: & diſertiùs adhuc *Horatius*; *Nam propriæ telluris herum natura, nec illum, Nec me, nec quemquam inſtituit.* Ex quibus quidem efficitur, privatũ terræ ipſius dominium & poſſeſſionem, non à *natura*, ſed ab humano inſtituto eſſe. Itaque ſi terra, quæ ab initio communis & libera, nec limitibus vllis, veluti compedibus aſtricta fuit, ſingulorum poſtea vel hominum vel populorum vſibus mancipari, ſi ſignari, ſi vrbari, ſi in partes diuidi, diſtribui, ſcindi, nulla humani generis, nulla juris gentium in juria, potuit, cur idem in mari & licuiſſe olim, & jam licere non exiſtimemus? aut quid habet in ſe mare, quod *poſſeſſioni*, ſcilicet, *reluctari* magis, quam ipſa terra, videatur? nam ſi communitatem affers; æquè terram ac mare cõmunem fuiſſe docui; & tamen terra omni poſſeſſionis & dominii genere tenetur. Idem igitur & mare jus? Nec me mouet ſi vetus author *Placentinus*, mare ita cõmune eſſe dixit, *vt in nullius dominio ſit, niſi ſolius Dei.* Primũ enim, dixerit ita *Placentinus* necne, planè neſcio. Nec vbi id dixe-

rit

rit, (quanquam cura non defuit) rescire potui; sed dixerit sanè: Quid ad rem? nam & *Terra Domini est & plenitudo ejus*: vt author est, *Placentino* multò & vetustior, & omni dignatione major & melior, Psalmista *Dauid*. Nos enim, si rectè vel loqui vel sentire volumus, terræ hujus non Domini, sed vsu fructuarii, sed coloni, sed inquilini, vel potiùs nihil horum, sed in ea hospites sumus & peregrini; & tamen si vnam glebulam possidemus, *Terrarum*, scilicet, *Domini* nuncupamur. Quid ni igitur & maris, si quam ejus partem possidemus, *Domini* appellemur? Verum *J. Faber*, vir doctus & eruditione clarus, asserit: *mare relictum fuisse in suo jure & esse primæuo, quo omnia erant communia*: Id scilicet curant Principes; Sed esto; Quum terra olim in singulorum vsus raperetur, mare in medio relictum, & à priuatorum posse saisione exemptum fuit. Quæro, qua lege? quo jure? quo humani generis scito? vel, (quoniam ad juris gentium æquitatem reuocamur) quo Prætoris mundani edicto, id sanctum fuisse docet? Nam si nihil horum fit, quid refert, si eruditiorum aliquis tale quid, animi causa, ebullierit? *multum* inquit. *Vbi enim est illa in mare corporis ad corpus adjunctio, sine qua nulla dominia cæperunt*? Non sum Oedipus, sed tamen, ut puto, *Pedis positionem* ad possessionẽ & dominiũ in mari inchoandum requirit. Id verò si ita est, primùm *in lacu*, inquã, *de Genesaritide*, quod requirit vir doctissimus inveniisse potuit. Ibi enim, & *Christus* olim & diuus *Petrus* mari, ut scimus pedibus inambulârũt. Quæ si nõ essent,

essent, at *Pontum Euxinum* & *Propontidem*, triaque illa, *Bosphori Cimmerii*, *Bosphori Thracii*, & *Hellesponti* freta, frigore sæpe ita constricta fuerunt, ut non minùs illa, quam ipsa terra, teri, premi, calcari possint. Sed sùt ista intra mediterraneum mare posita. Certè. Quid igitur de Oceano illo qui Græcis, πρωτὸς, Latinis *Glacialis* dicitur existimabimus? nam si Oceanus glacie constringi possit, vtique & calcari, & non solùm pedis, quem quærimus, humani vestigium, verùm etiam vngulæ equinæ *positionem*, & carrorum pondera non minus quam freta illa, pati, ferre, sustinere possit; ex quo sequitur & *possideri posse*. Neque, enim vt opinor, Oceanus, si congelari incipit, Oceanus esse definit. Verùm ad liquidum Oceanum veniamus. Quid ni & ille *pedis positionem & corporis ad corpus adjunctionem*, hoc est, possessionem pati posse censeatur? Nam si naui in mare fluctuanti insisto, ipsi certè mari insistere non negor, aliter si esset, ne equo quidem insidens, terræ insistere videbor. Id autem si ita est, ne si calceatus quidem, pedem in terra posuero, quicquam id agendo, ad *possessionem* quod attinet, profeciſse videor, nec *corpori corpus vnquam adjunxisse* existimabor, nisi nudis pedibus, dum possessionem capio, terram pressero. At non sic poeta: sed *balænam* olim, ab *Ammone*, ad *Andromedam* deuorandam missam, mare sub se positum *possidere* dixit. *Veniens* (inquit) *immenso bellua Ponto Imminet, & latum sub pectore possidet æquor*. Pari igitur ratione vel ipsa nauis, vel gubernator, qui veluti formam

ma quædam nauem animare videtur, mare sub se positum possidere dici potest. Aut si hoc forte duriusculum videatur, illud tamen quàm apertum? quod apud eundem poetam *Dædalus, Terras licet* (inquit) *& Undas Possideat Minos; cælum patet*: Vndas igitur, id est, maria, nõ minùs quã terras à Minõe olim possessa fuisse vides. Cur non igitur & hujus sæculi Regibus, Rebusque Publicis eodem jure vti, & sua maria possidere liceat? Aut quæ tandem est ista quam pro sic certa venditant, *à notatione nominis* argumentandi ratio? mihi enim profectò, non solùm fallax sæpè, verùm etiam infirma semper, & plerumque deridicula videtur. Nec video in quo hoc totum genus à mera verborum & syllabarum aucupatione differat. Nam si nulla possessio fit, nisi quæ *pedis positione* fiat, cur dives illa in voculis fingendis & nouandis Græcia par huic rei nomen non invenit? *Theophilus*, certè, *Assessor* in Græca sua Institutionum versione, pro possessione, non ποδὸς θεσιν, sed τὴν νομὴν ponit. Sic *longi temporis possessionem*, τὴν χρονίαν νομὴν, *Rem quæ possidetur*, τὸ πρᾶγμα ὃ νέμεται, *Rei possessorem*, τὸν νεμόμενον, denique *Bonæ fidei possessionem*, εὐπιστίαν νομὴν vertit. Alio etiam pro eadem re vtuntur Græci verbo, sedquod nihil ad *pedis positionem* faciat. κέκτησθαι enim pro *possidere* ponũt. Quis autem nescit vtrumq; verbũ, tam νέμειν, quàm κέκτησθαι sua virei cujusq; adquisitionẽ significare? sed quiaquidquid acquirimus, idẽ ferè & possidemus; ideo eadẽ verba ad vtramuis rem significandam ponunt. Quoniam igitur *Minos*, aliique Principes

ntaris

maris dominium acquirere poſſunt, ideo recta & loquendi & ſcribendi ratione, ipſum poſſidere dicuntur. Neque verò in hoc vertitur hujus (vt opinor) controuerſiæ cardo, ſed in eo magis, vt intelligatur, an maris commercium aliquod ita ſit, vt quocunque titulo jus in eo aut *Titulus*, hoc eſt, poſſidendi cauſa allegari & probari poſſit. Qua in re, dubitandi ratio quæ ſit, equidem non video: præſertim ſi poetas audire volumus. Audiamus igitur (ſi vacat) *Neptunum* è *Saturni* Regis Cretenſis filiis vnum, apud *Maronem*, jus ſuum aduersùs Fratrem acerrimè tuentem, & magno ſtomacho affirmantem: *Non illi imperium pelagi, ſæuum q; tridentem Sed ſibi ſorte datum.* Sortitò igitur maris (Cretici puta vel alterius cujuſcunq;) dominium dari potuit; quid ni igitur, vel legari, vel donari, vel alio quocunque titulo transferri poſſit? At fabulæ hæ ſunt, inquies: non nego; ſed tamen iſtæ fabulæ ſatis indicant, nihil in ſe abſurdi, aut à ratione alieni habere, ſi quis commercium maris eſſe, ipſumque titulo poſſideri & alienari poſſe dixerit. Commercium enim earum omnium rerum eſſe dicitur, quæ vſibus hominum, dominioque ſubjici, & in obligationem deduci, alienarique & acquiri poſſint; cujuſmodi mare quum eſſe hoc exemplo conſtet, ſimul commercium ejus eſſe planè negari nequit. Imò, inquit, Jure gentium libera eſt inter quoſuis, modò nauibus eo peruenire poſſit, mercatura. Equidem non exiſtimo. Quid enim, ſi gens nunc aliqua (quod multæ olim juſtiſſimis de cauſis factitarunt) mercato-

res pecegrinos ad ſe accedere prohiberet? etiamnè inuiti ad mercatores ſuſcipiendos jure gentium cogi poſſint? Id verò tantum abeſt, vt ſi quis ex aliena terra, quæ nobis nec amicitia, nec fœdere, nec hoſpitio jungitur, ad noſtram appulerit, jure ſeruus fiat: quam in rem verba *Pomponii* Juris-conſulti profero. *Si cum gente*, inquit, *aliqua neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus, hii hoſtes quidem non ſunt: quod autem ex noſtro ad eos peruenit, illorum fit, & liber homo noſter ab iis captus ſeruus ſit, & eorum. Idemque eſt, ſi ab illis ad nos aliquid perueniat.* Non igitur peregrinis, quaſuis terras inuitis Dominis accedere impunè licet: ſiue mercaturæ id, ſiue diſciplinæ, ſiue alia quacunque de cauſa fiat: ſi faxint, clarigatio eſt & poſtliminium, ſiue pedibus eò ſiue nauibus acceſſerint. Quod ſi terram noſtram veſtigio premere non licet, ne mare quidem noſtrum nauigare, aut aere noſtro, nobis inuitis, veſci licebit. Iſta enim omnia amicis, hoſpitibus, fœderatis, ſociis denique noſtris patent; hoſtibus verò aut alienis non item, niſi noſtra id voluntate & permiſſione fiat; nedum littora noſtra occupare, retia ſiccare, piſces vel in mari noſtro capere, vel captos in littore noſtro aut condire aut indurare licet; niſi id pacis legibus vel fœderis conditionibus contineatur. Quis igitur non videt hæc quorundam hominum effata: *Mare liberum, mare commune, mare incomprehenſibile, mare dominii & commercii expers eſſe, mare poſſeſſioni reluctari*, & ſimilia, ex illa officina, quæ omnia communia

L: Poſtliminii Di. de Capti.

nia eſſe vult, ſi non originem ſuam trahere, attamen ad ejus ſimilitudinem componi? Quaſi verò Veneti à ſinus Adriaci, aut Danorum Rex à ſui freti, quam *Zundam* vocant, aut ſereniſſimus Dominus noſter *Carolus* Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, maris Britannici poſſeſſione, quam per tot annos ſinguli tenuerunt, iſtis non rationibus ſed ludibriis ſe pelli paſſuri ſint; aut quaſi hii primi certi maris dominiũ ſibi vendicâſſent, ac non mos hic omni ſæculo in mari inualuiſſet. Cretes enim primi, mox Lydi, Thraces, Byzantini, Athenienſes, Lacedæmonii, Rhodii, Perſæ, Syri, Phœnices, Ægyptii, Pœni, infiniti alii vel populi vel Principes, ſuis quiq; temporibus, maris imperium & dominium nunc tenuerunt, nunc amiſerunt. Qui autem maris imperium habet, is omnia in eo ſic habet, vt alteri, eo inuito, nihil in mari magis quàm in ipſa terra mouere liceat; idque per ſingula currendo manifeſtum fiet. Romani Pœnis, ne quid bellicarum nauium, vltra præfinitum numerum haberent, quum pacem petentibus ſecundò darent, edixerunt. Quo in genere, quum eos peccaſſe Romani ſemel comperiſſent, tertium illis bellum, quod cum Carthaginis excidio finitum eſt, continuò indixerunt. Antiocho poſtea, ne citra Chelandias ſiue Chelidonias inſulas, plus quam vna monere nauigaret, imperârunt; paruit Rex orientis maximus, & parendo, Romanos victores maris non minùs quàm terrarum Dominos fuiſſe faſſus eſt. At verò iſta in mediterraneo fieri fortaſſe potuerunt; in Oceano

alia res eſt. Atqui *Claudius* Imperator ipſi (vt eſt apud *Senecam* in Apolocyntoſi) *Oceano* leges dedit. Verba quin etiam apponenda cenſui: *Ille Britannos, Vltra noti Littora Ponti, & cæruleo Cute Brigantes, Dare Romuleis Colla catenis Juſſit, & ipſum nouæ Romanæ Jura ſecuris Tremere Oceanum.* Quid *Conſtantium*, cognomento *Chlorum*, *Conſtantini* magni patrem memorem? qui deuictis prælio nauali Francis, & oppreſſo *Carauſio*, *adjeciſſe Imperio terris omnibus majus elementum*, hoc eſt, *Oceanum*, in *Eudemi* Panegyrico prædicatur. Non quòd hoc prælio, vniuerſum, quà patet, oceanum, *Atlanticum*, *Auſtralem*, *Paruanum*, & vltra *Californiam* ad occidentem, mare verò *Indicum* cis & vltra Gangem ad orientem, Chin vſque & Japonas, (de quibus nec cognitum quid tum Romanis nec cogitatum fuit) Imperii faſcibus ſubjeciſſe putandus ſit; ſed quòd oceanum orbi Romano vſque quaque adjacentem, tam inſigni victoria, Juris Romani effeciſſet. Verba enim ſcriptorum cum *mica* (quod dicitur) *ſalis* capienda ſunt. Nec ſi in ipſo Euangelio audieris, *exiiſſe edictum à* Cæſare Auguſto, *vt vniuerſus deſcriberetur orbis*; tu de Bactris hoc aut Sogdianis, aut Parthis, ſed de orbe Romano, intelligendum eſſe putes. Itaque quo jure *Conſtantius* vniuerſum, quà Africæ, quà Hiſpaniæ, quà Galliæ, quà Germaniæ, quà Britanniæ adjacet, oceanum Romanis faſcibus parere juſſit, eodem planè jure & ſereniſſimi Anglorum Reges in ſuis maribus, & Danorum forſitan Principes in ſua *Zanda* imperium ad ſe

&

& coronas ſuas pertinere aſſerunt. Qua in re, ne vi magis graſſari quam jure facere Reges videantur, *Baldi*, vt acutiſſimi, ita profundiſſimi, Jurisconſulti verba, de toto hoc genere attendite quæſo. *In mari juriſdictio eſt*, inquit, *ſicut in terra. Nam mare in terra*, i: *in alueo ſuo fundatum eſt, quum terra ſit inferior ſphera: & videmus*, inquit, *de jure gentium, in mari eſſe Regna diſtincta ſicut in arida terra: ergo & jus ciuile*, i: *præſcriptio, illud idem poteſt* (in mari ſcilicet quod in terra) *operari. Et hæc præſcriptio quandoq; aufertur alteri: ſed quum applicatur alteri, ita quod alii non aufertur, iſta eſt conſuetudo; & ſic Venetiarum & Januenſium, ſua mari a diſtincta ex inueteratiſſima conſuetudine habent. Sed num quid hoc prætextu nauigantibus per ipſorum mare, poſſunt imponere gabellas, & confiſcare merces, inconſulto Principe? Quod ſic: Quia totus mundus hoc jure vtitur*: & infra; *minimè*, inquit, *mutanda videntur, quæ conſuetudinem certam ſemper habuerunt.* Vides, lector, iſto veluti oraculo, ad omnes contra tendentium argutias reſponſum dari. Juriſdictionem, dominium, commercium, hoc eſt, dominii, ſiue per præſcriptionem, ſiue per conſuetudinem, ſiue alio quocunque titulo tranſferrendi jus, diſtinctoſque limites & fines, idque non vi, ſed jure, eoque non ciuili tantùm, verùm etiam gentium, non Imperatoribus modò, ſed & ſingulis Regnis & Rebus pub. in mari æquè atq; in terra conſtitui poſſe. At enim Lex ipſa dominium omne in mari, ſiue extero ſiue concluſo, reſpuit. Quæ tandem? Illa, inquit, quæ ab *Antonino Pio* olim e-

Bald. ad l. 2 Li. de Rer. diuiſ.

L: Ἀξίωσις Dial. de Le Rhod:

dita in Pandectis ponitur. *Ego quidem mundi Dominus, Lex autem maris. Lege id Rhodia, quæ de nauticis est, judicetur.* At, inquam, constitutio ipsa græcè edita, latina illa versione, deprauatur. Verba enim græca sunt, Ἐγώ μεν τοῦ κοσμου Κύριός, ὁ δε νόμος τῆς θαλάσσης τῶ νόμω τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῶ ναυτικῶ. Hic quæro, vocula illa latina (*Id*) quid tandē in Græco habet cui respondeat? planè nihil. Illa igitur vocula è contextu sublata, apertè constat, conjecturam *Seldenianam*, qua ipsum græcum codicem vitiosæ interpunctionis ad verbum θαλασσης arguit, pro responso prudentis capiendam esse. Sic enim textus alteruter inoffenso pede curret. *Ego quidem mundi Dominus. Lex autem maris lege Rhodia, quæ de nauticis est, judicetur.* Idq; *Dionysius Gothofredus* in doctissimis suis ad eandem legem ānotationibus priùs sensisse videtur, quum non alium ejus sensum esse notet, quàm si sic dictum esset, *Mundi siue Terræ lex, Princeps ipse quidem est, lex verò maris à lege Rhodia petenda est. Jacobus* certè *Gothofredus*, tanto patre dignus filius, in suo *de Imperio maris* ὑπομνήματε non ita pridem in lucem edito, vulgatam hujus legis interpunctionem, falsi planè damnat, idque patrem suum primùm vidisse, primùm ostendisse docet. Ineptum est igitur, Imperatorē Maris dominium hoc edicto refutasse. Nec lex Rhodia hoc vnquam statuisse vel statuere potuisse noscitur. Plura adderē, si aut historiæ scribendæ ratio id pateretur; aut si *J: Seldenus* nostrâs, vir, *in interioris*, vt loquitur Tullius, *disciplinæ studiis* versatissimus, in suo, qui *Mare Clausum*

ſum inſcribitur libro, totam hanc cauſam, extra omnem, quod dici ſoler, aleæ jactum non poſuiſſet.

Incidit autem illa Venetorum de Narentanis (inde enim digreſſi ſumus) victoria in calculi Chriſtiani annum nongenteſimum circiter & nonageſimum, paucis admodum ante *Othonis* Tertii, qui propter rerum geſtarum gloriam non *magnus*, ſed, vt ait *Nauclerus Mirabilia mundi* vocabatur, primum in Italiam aduentum. Id autem nono *Ioannis*, Pontificis Romani, ejus nominis decimi ſexti anno, qui fuit ſalutis humanæ nongenteſimus nonageſimus ſecundus, accidit. Tanta autem *Othonem* juuenem tum, ſeu vrbis Venetæ, ſeu ipſius ducis *Vrſeoli*, viſendi inceſſit cupido, vt compoſitis Romæ rebus, inde in Germaniam rediens, ex itinere Rauennam diuerteret, & alieno habitu, clam præter ipſum *Vrſeolum* omnibus, Venetiarum vrbem intraret; vbi, quo tectior res eſſet, humili quodam cœnobio exceptus, vrbem ipſam & celebriora vrbis loca, Templa, & Porticus, ſub priuati hominis imagine interdiu luſtrabat; *Vrſeoli* verò conſuetudine per noctes fruebatur. Decedens *Pannum aureum*, qui ex fœdere Imperatori Romano annuus debebatur, Venetis in perpetuum remiſit: *mercatique & portus* (vt ait *Sabellicus*, in ſua *Rerum Venetarum Decade prima*, lib. 4.) celebrandi jus conceſſit. Quod quid ſibi velit, planè non intelligo; niſi illud fortaſſe, quod quemadmodum prius in oriente, ita jam in occidente, & per omnes Imperii vrbes, portus, & ciuitates, jus mercati, & portori- Cap. 39.

orum libertatē ab *Othone* impetrauerint. Neq; enim dubitari potest, quin Veneti, ad id fastigii rebus gestis euecti, jus mercati & portus in sua ciuitate, quinimo & ditione omni habuerint. Aut si petendum tum restabat, à Græco protectò Imperatore cujus partibus ex fœdere inito addicti fuerant, potiùs quā à Romano peti debuit. *Vrseo* vnde-vigesimo ducatus sui anno, summa auctus gloria, & lachrymis civium, dum adhuc incumberet, inundatus mari tur: eique successit *Otho* filius; qui, statim inito ducatu, cum Murcimiro Croatiæ Regulo Jadertenses, Venetæ ciuitatis subditos (mare an terra non traditur) infestante conflixit, & egregiam de eo victoriam reportauit. Mari tamen contractum certamen, ideo magis puto, quia *Otho* statim ab hac pugna, omnes Dalmatiæ nuper à patre suo in fidem acceptæ ciuitates classe lustrabat; nouaque sacramenta, si qua opus erat, aut obsides imperabat.

Cap. 4. Dum hæc Venetiis & in oriente geruntur, interim in Britannia miris successibus crescunt Anglorum res; pulsisque Danis, *Athelstanus* primus insulæ monarchiam occupauit: sed major omnibus *Edgarus*, non Angliam modò, verùm etiam Scotiam, Hiberniam, omnesque adjacentes insulas suo Imperio adjunxit. Nec dubitarunt illius sæculi scriptores eum *Romulo*, *Cyro*, *Arsaci*, & *Carolo magno* Francorum Regi æqualem facere. Hic regnum anno 959 accepit: Quo tempore, erat quidam nomine *Malcusius*, alii *Mixentinm* efferunt, qui quum nullam terræ glebam titulo possideret,

Edgarus.

mare

mare omne, vt olim *Carausius*, infestum latrociniis fecit; quumque non aliud quàm Archipirata re ipsa esset, inter præcipuos tamen illorum temporum Reges,& veluti alter *Neptunus* habebatur. Hæc mihi causa videtur fuisse quæ *Edgaro* tantam Classis parandæ curam injecit; ter mille sexcentarum nauium classem in procinctu habuisse omni annalium nostrorum fide constat : neue quis hoc de sediis aut leuibus nauigiis interpretetur, *Rogerus Houedenus* eas omnes *robustas* fuisse tradit. Nec vllus unquam post *Ptolomæum* Rex tantam Classem in numeros relatam ad perpetuam regni sui custodiam & tutelam habuisse proditur. Nec habuisse contentus, tantam Classem in tres æquales exercitus diuisit; quumque mille ducentas naues in orientali, totidemque in occidentali, & alteras mille ducentas in septentrionali insulæ plaga instructas semper & expeditas haberet, hunc ad extremũ vitæ suæ spatium morem tenuit, vt Paschali solemnitate emensa, consensa quæ ad orientem erat Classe, omnia à Tamesis ostio ad vltimum Cornubiæ, quæ ad occidentem protenditur, angulum littora, littorumque anfractus & porticulos, summa cura lustraret; dabatque operam ne quod piratis latibulum toto illo qui Angliam & Galliam interfluit freto relinqueretur; quo peracto, Classem quæ venerat, ad stationem suam in oriente remisit, & accepta quæ in occidente erat, nauium cohorte ad septentrionem pari cura & studio tendebat; inuisebatque non Angliæ modo, verum etiam exteriora pariter & interiora

Hiber-

Hiberniæ littora, Hibridaſque & omnes ad ſeptentrionem poſitas Inſulas. Inde fatigatum militem ad occidentem redire juſſit; ipſe indefeſſus tertiam claſſem conſcendit, nec ullam ſibi requiem, prius quam lecto Scotiæ Angliæque littore ad Tameſis oſtium, tota Inſula circumita, rediiſſet, dabat. Quod quum ſingulis, quibus regnabat (ſedecim autem erant) annis faceret, vniuerſum hoc Mare ab omni præterquam à ventis periculo immune, & à latronibus omni portu tutius præſtitit; Quòq; potentia ejus in mari conſpectior fieret, flumine *Deua*, quod Ceſtriam vrbem alluit, luſorio aliquando nauigio euectus, ſeptẽ quibus imperabat Reges remis nauem agere, ipſo gubernaculum moderante, juſſit; Idq; non barbaro, nec quo *Seſoſtris* olim, aut *Tamerlanes* (qui currus ſuos Regibus junxiſſe perhibentur) ingenio, ſed ciuili planè, & moderato, nulla regum ipſorum contumelia, nulla offenſa fecit. Indicio fuerit, quod ad vitæ exitum uſq; in fide ejus omnes manſerint. Sed iſto tamen veluti pignore maris imperium, ipſis quorum intererat vltrò tradentibus, ſibi deſponſabat. Itaque nulla cujuſquam inuidia, maris hujus dominium ſibi poſteriſq; ſuis Anglorũ Regibus deinceps vindicavit; nec vindicauit modo, verum etiam juſto titulo ad poſteros tranſmiſit, tranſmiſſumque poſteri (Chriſtiani orbis accedente conſenſu) hactenus tenuerunt: tenetque modo inclytus Rex noſter *Carolus*, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, & propitio nomine tenebit, nec maris magis quam ſoli Britanici domini-

dominium ſibi unquam eripi patietur. Neuè juris hujus & tituli origo in obſcuro eſſet, *Naui Regiæ* nuper extructæ (cujus ſimilem ab antiquis illis *Ptolomæi*, *Demetrii*, *Hieronis* temporibus mare non vidit) cauſam inſcribi fecit, *Ab* EDGARO *quatuor maria vendico.* Animus modò nobis, ô Ciues, idem nunc inſit, qui in majoribus noſtris, temporibus *Alfredi*, *Athelſtani*, *Edgari* hujus, ejuſque filii *Ethelredi*, *Canuti*, aliorumque deinceps Regum fuit; neuè priuatæ impenſæ tædio, rem naualem (qua res Anglorum ad hunc uſque diem ſtetit) & cum ea ſpem ſimul ſalutemque noſtram prono amne ferri, & in profundo mergi patiamur. Aſt mihi à prælio Acciaco, mille circiter annorum emenſo ſpatio, tempus vela iterum contrahere, haud ignaro quanta rerum moles in ſexcentorum qui ſuperſunt annorum curſu conficiendo ſuperanda maneat.

FINIS.

Sit laus Deo.

Errata *ſic corrige.*

PAG. 11. Liburna, *adde* Rotata. p. 27. Canthoſque *le.* Cauchoſque. p. 30. vix, *le.* vixque. p. 47. eſt *le.* ſit. p. 59. nec, *le.* quâ non. p. 83. ſex, *le.* bis. p. 9. rapdius *le.* s. rapidius. p. 92. ea *le.* eam. p. 94. fæderum, *le.* fædere. p. 117. ſtructa acies, *dele.* p. 131. quo, *le.* à quo. p. 133. incepta, *le.* concepta. p. 135. inſolitudines, *dele* in. p. 156. ccurrens, *le.* accurrens. p. 159. inhærentis, *le.* indulgentis. p. 160. illenè, *le.* illecnè. p. 167. in[t] *le.* à. (p. 4) obſiderunt, *le.* obſederunt. (p. 11) Rauennæ, *le.* Romanæ. p. 179. diuidenda, *le.* diuidendæ. p. 187. Cilicas tamen Iſauros, *le.* Cilicas tamen & Iſauros. p. 193. inuenirent, *le.* inueniret. *ead. p.* incredibilem, *le.* incredibile. p. 194. Alis, *le.* Ali. p. 195. conferendam præſens, *le.* conferendam exceſſit: ſed præſens p. 208 ſola, *le.* ſolæ. p. 210. ejaculare, *le.* ejaculari. p. 122. aubus *le.* auribus. p. 221. contracto, *le.* contacto. p. 228. capto *Arthauſtus* viuus in poteſtatem venit Imperator, *le. Arthauſtus* viuus in poteſtatem venit. Capto Imperator. p. 230. ſucceſſerant, *le.* ſucceſſerat. p. 232. dendam, *le.* dedendam. *ead. p.* appellari, *le.* appellati. p. 235. flammas, *le.* flammis. p. 240. cauſis, *le.* causâ. p. 241. oram, *dele.* p. 248. cæſus, *le.* copiis.

Ad Benevolum Lectorem.

HÆC ſunt, Benevole Lector, præcipua hujus Impreſſionis errata; ſunt tamen & alia vel litteralia, vel interpunctionum, hic alieno loco inſertarum, illic omiſſarum peccata. Eſt & unum plurimorum foliorum, inter paginas 167, & 169, à Typographo, currente prælo, præteritorum inſigne vitium. Hæc ſuo loco, quum ad notitiam noſtram peruenisſet res, inſeri, & eorum numeros hujuſmodi ( ) parentheſi includi fecimus. Vale Lector, & ſi mei in hoc opere conatus, judicio tuo parte aliqua ſatisfecerim, Typographo in mei gratiam facilis ignoſce.